




# Summaria D. Mar. Lutheri in Psalmos, Dauidis,

<https://hdl.handle.net/1874/428529>

S V M  
M A R I A D. M A R.  
L U T H E R I I N  
P s a l m o s , D a u i d i s e  
g e r m a . l a t i n e r e d -  
d i t a p e r  
I V S T V M I O N A M .

V I T E B E R G A E  
M. D. XXXIII.



15 V. 2

# CLARISSI

MO PRINCIPI ET D. D. IOANNI  
ERNESTO, DVCI SAXO-  
NIAE, LANDGRAVIO  
DVRINGIAE, Marchioni  
Misnia &c. Domino suo  
Clementissimo.

G. & P. Scripsit, Clarissime princeps, Dr.  
MARTINVS Lutherus, ante paucos menses,  
summaria in Psalterium Davidis, adeo fœliciter  
& breuiter, res maximas complexus, adeo apte,  
signata, & diuine tradens grauissima argu-  
menta psalmorum, ut hæc epitome iusti com-  
mentarij uice esse possit. Ipse n. ut miles Christi,  
tanto tempore, tot temptationibus exercitatus,  
propter uerbum DEI, tota uita sua, diligenter  
inter manus triuit psalterium, eoque propius &  
fœlicius asscutus est, affectus et res grauissimas  
psalmorum, quo minus similium certaminum,  
& temptationum est rudis.

Quanta diligentia, singulos apices in hoc li-  
bro spiritualissimo, peruiderit omniq[ue] expen-  
derit, testatur luculenta ista translatio germanae  
nica ex Heb. ad quam hæc summaria accommo-

## EPISTOLA

data sunt, qua apud germanos homines, aut omnes alias etiam gentes, nihil eius generis unq; in sacris, quicq; editum est, subactius aut absolu-  
tius, atq; utinam incumberent piorum ingenia,  
ut aliquid non dissimile, ex Hebræo in latinum,  
transfundì posset. Apud doctos & pios, si confe-  
rant Lutheri translationem, tum ad fontes Heb-  
atum ad alios interpretes, res ostendet, quantum  
aliarum sit discriminē.

Circumferuntur tot iam annis translationes  
germanicæ in psalterium, in quibus cum uerbum  
ex uerbo redditum sit, adeo obscurantur & fœde  
deformātur omnia, ut in authore tam graui, uine  
illam natuam ipsaq; pondera uerborum & sen-  
tentiarū, alienis inceptijs palam obruta et amissa  
uideas, ut uix aliquid possis agnoscere Davidis,  
Non aliter atq; si formosa aliqua facies, ita sit de-  
formata, vulneribus, tabo et sanguine, ut ne figurā  
quidem hominis queas agnoscere.

Tot commentarij ueterum, qui quidem exten-  
sionem multum contulerunt, ad intelligendum psala-  
terium. Augustinus uir tantus, pius potius cogi-  
tationes quasdam ad singulos uersus effudit, q;  
aperuit psalterium. Extant quorundam recen-  
tiorum commentarij in psalmos aliquot &c. Deus  
bone q; frigida rethoricationes de rebus grā-  
uissimis.

## DEDICAT.

wissimis. Vnus Pomeranus nostro tempore, in enarrandis psalmis plurimum contulit pijs.

Psalterii omniū iudicio unus ex summis libris est totius scripturæ, eaq; uox admodum trita fuit inter saniores Theologos, psalterium librum esse excellentem, quem ne summi quidem Theologi, satis discere aut perdiscere possint. Hoc uerissimum esse, fatebuntur omnes boni & pijs, qui res psalmorum utcunq; degustarunt. Dauidem enim unū, ex summis uiris fuisse, ueteris ac noui testamenti, nō leuib. argumentis constat, qui cum esset Rex in populo DEI, & ille electus seruus Domini, ex cuius semine nominatim C H R I S T V S promissus erat, per totam uitā, ut sit in maximis quibusq; uiris, grauissimis calamitatib. & tentationibus quassatus est.

Primum q̄ dura initia, regni ipsius fuerunt, Quid enim non per pessus est malorum a Saule, & aulicis impij Regis. In quas eruminas, putas conc̄ecit optimum illum, & suorum, atq; etiam Reip. amantissimum Principem Achitophelis parriciale consilium, & tota illa acerbitas Absolonici temporis, q̄ grauiter exercuerunt cum, domestici illi, atq; non uno nomine miserabiles & uere tragici casus?

Iter tot, & tantas afflictiones, plane maiores q̄ huma-

## EPISTOLA

Q̄ humana mente concipi possit, in hac schola  
DEI eruditus, toties terroribus peccati, mor-  
tis, diaboli &c. collusflatus, plerisq; psalmis,  
ostendit luctam fidei, & gre se aduersus mesitiam,  
& terrifica spectra ire diuinæ, uerbo Dei eri-  
gentis, plerisq; autem iam respirans e medio æstu  
tentationis, alacriter gratias agit, q; DEVS se  
expectantes non deserit. Plerisq; exultans in  
spiritu sancto, Regnum futurum Christi, futuram  
Oeconomiam ac faciem Ecclesiae, ita subiicit oca-  
lis, quasi non futura prophetet, sed coram se  
gesta recitet.

Nunquid magno nobis emptum optaremus?  
ut Dauidem & alios magnos uiros, qui psalmos  
& hec absolutissima carmina condiderunt, de  
suis temptationibus, econtra autem uictorijs con-  
tra diabolum & mundum ac uarijs consolatio-  
nibus, de cultu Dei, de Sacrificio summo coram  
Deo, quod ipsi summum habuerint, de usu uero  
ceremoniarum &c. concionantes audire po-  
ssimus.

Illiud ipsum nusq; melius cerni cognoscive po-  
test q; in psalmis, ubi corda sua, & intimos mo-  
tus animorum, coram Deo aperiunt sancti, uer-  
ra invocationis & adorationis, summiq; ac gra-  
tissimi eritus Dei exempla in seipsis clarius  
eradunt

## DEDICAT.

tradunt q̄ usq̄ alibi. Excellentia & plane diuina  
poemata sunt, Homerij & Vergilij carmina, qui-  
bus depingunt, quomodo suis duris temporibus,  
uiri politici, aut Oeconomici affecti fuerint, quo-  
modo e uarijs Reip. malis, & domesticis etiā ad-  
uersitatibus ac erumnis, uirtute freti, emerserint  
& se explicarint.

Verum psalmi longe excellentiora carmina  
sunt, quibus describitur quomodo uiri spirituales  
& antagoniste, principis mundi huus, contra  
horribile robur & astum infinitum tanti hostis  
diaboli scz, Religionem & politiam indesinenter  
oppugnantis, se se armaverint uerbo DEI atq;  
munierint, quomodo infracta & constanti fide,  
omnem eius immanem & humanis uiribus in-  
superabilem impetum, retuderint atq; confre-  
gerint.

Has tantas res his elegantibus et breuissimis,  
carminibus contineri, baud dubie magni uiri in  
Ecclesia uiderunt, ideo dixerunt cytharam Da-  
uidicā aureis personare fidibus, id est, hunc libellū  
plenum esse suauissima consolatione, & gra-  
uissima doctrina de maximis rebus, quarum  
mundus & omnes sapientes mundi ignari sunt,  
& soli norunt spirituales. In hos

## EPISTOLA

In hos ergo Davidis psalmos, hec summaria  
latine redditia, ideo T. C. dedicare uolui, ut cum  
Clariss. Elector SAXONIAE DIVVS IOHAN=  
NES FRIDERICHVS tuæ Cel. frater, pro sua  
pietate, & sapientia excellenti, te ideo in hoc  
cursu studiorū, in quo uersaris retinere uoluerit,  
quo ante omnia, discas Christianam doctrinam  
studiumq; religionis, quod Electorali familie,  
Saxonie hereditariū est, transmittas ad posteros,  
hec quoq; Davidica carmina legas a teneris,  
& ortus ex Regibus hunc librum uere regium,  
imo bāc opulentā et regiā Bibliothecā cito attin=  
gas, et prima estate in hoc optimo libro uerseris.

Nam etiam si tua forsan etas, nondum talium  
verum per omnia capax sit, tamen profuerit T. C.  
in posterum ista cito utcunq; degustasse. Quemad=modum enim nulla longeuitas satis est, ad per=uidendas excellentium scriptorum aut ingeniorum  
uirtutes, eo q; omnia ipsorum aliquid immortale  
diuinum & eternum habent, (Nemo enim adhuc  
Homerum, tam cito attigit, aut exacte perlegit,  
ut totum penitus perspexerit) ita summorum spiri=tuum Davidis & similium scripta, ne a summis  
quidem & exercitatissimis, ita facile introspecti=atur, neq; ita ab adolescentib. perdisci possunt, ut  
non plurima restent, in quib. neophytes & disci=pulos se professuri sint senes.

His

## DEDICAT.

His nouissimis & uere difficilib. temporibus,  
quibus Satan mirabili fremitu & astu, extrema  
tentat, contra Christi nomen et uerbum, & infini-  
ta uarietate scandalorū terret & contristat pios,  
uix habent quicq; pijs animi, quo eque recreari po-  
ssint, atq; eiusmodi Davidicis scriptis et exemplis.  
Ut ergo hi summi libri uniuersæ scripture, qui  
sub Papatu quasi obsignati & uere clausi iacu-  
rūt, in Ecclesia seruaretur, ut hec VERITAS DEI  
firma & æterna consolatio cordium afflictorum  
non opprimatur prophanis doctrinis, tui Clarissi-  
mi maiores queuis pericula, salutis & fortuna-  
rum adeunda duxerunt.

Ideo iam odijs acerbissimis oneratū est nomen  
Clarissimū SAXONICVM. Promittit iā Papa,  
id anxie efflagitante optimo CAESARE, tot iam  
annis, Conciliū, & oēs gentes nunc erecta sunt,  
expectatione Synodi generalis, Quid & quius usq;  
postulare potest, Clariss. Elector Saxonie, quid  
ceteri Euangelio fauentes principes, quid omnes  
pij, q; ut causa religionis, que nunc agitatur,  
cognoscatur in luce, nō inter paucos Cardinales?  
q; ne Biblici libri, Euangeliæ, Paulus, illud ipsum  
DAVIDIS psalteriū, extorqueatur nobis e mani-  
bus Tyrannide corum, qui si uellent prestare,  
quod audiunt, soli defendere debebant doctrinam

A s sanam

## EPISTOLA

sanam, soli mederi afflictis conscientijs. Nihil aliud iam petit a Rom. Pontifice CAROLVS V. nihil cum optimo Cæsare, tota Germania, In Synodo non opus est, statuere quo genere supplicij, quo nouo Phalaridis tauro Lutherani perendit sint, qui pontifici uias pecunie & questus, tam callide inuentas, non modo in Germania, sed alijs etiam locis obstruxerunt & uastarunt, pleriq; iam optarent mori, tantumut doctrinæ Christi libere doceretur in Ecclesijs.

In Synodo cognoscendum est ultra doctrinæ Dei sit, an illa, que CHRISTI beneficia extollit, & iuxta Apostolica scripta proponit conscientijs, que ex Prophetis, psalterio, claris et puris uerbis scripture, sincere erudit, armat, munit, erigit & recreat afflictas conscientias contra diabolum &c. an uero illa, que CHRISTI nomen & beneficia prorsus opprimit, Christum & gratiae nomen, in omnium animis delet, locos scripture, in suis decretalib. ad stabiliendā antiquā Tyrannidem, blasphemē detorquet, infinitis traditionibus conscientias captiuat, & propter questum scandala ac blasphemias, adeo nunc immensum auxit in Ecclesia, ut quis induratos, nunc accusante conscientia, sui similes esse in omnib;

DEDICAT.

in omnibus ipsos etiam pudeat aduersarios.

Sed hos missos facio tibi Clariss. Princeps, cō-  
nitendo psalteriū, cū nihil aliud possimus ibi, q̄ ut  
cōtra regnū diaboli, et impietate psalmis pugne-  
mus, et oremus. T. C. CHRISTVS IESVS  
diu nobis conseruet incolumem, Date

I. Decemb. ANNO

XXXIII.

T. C.

deditiss.

Iustus Ionas.



NTEQ<sup>Z</sup> SVMMARIA,  
tradamus in psalmos, ad-  
monendū duxi lectorem, in  
hoc libro Davidis cōtineri,  
quintuplicis generis psal-  
mos. Quidam psalmi sunt,  
prophetiae de CHRISTO  
Ecclesia, & temporibus  
Ecclesie, uarijsq; afflictioni-  
bus sanctorum &c. & eo pertinent omnes  
psalmi, continentes promissiones & minas, pro-  
missiones de seruandis & liberandis pijs, minas  
de perdendis impijs.

Secundo, quidam psalmi sunt, qui docent,  
quid faciendum omittendumque sit secun-  
dum legem Dei, & eo pertinent omnes psalmi  
qui doctrinas humanas damnant, & dignitatem  
uerbi Dei extollunt.

Tertio sunt psalmi consolatorijs, qui contristat-  
tos, tentatos, & afflitos, a Satana & mundo, eri-  
gunt & consolantur, econtra Tyrannos incre-  
pant & terrent &c. et eo pertinent omnes psal-  
mi, qui

mi, qui consolantur piōs, exhortantur ad pacientiam, & Tyrannis imprecantur iudicium Dei.


Quarto, sunt psalmi precatorij, in quibus propheta, & alij in suis afflictionibus inuocant, & implorant opem Dei, & hoc pertinent omnes psalmi, qui de persecutione impiorum con queruntur &c.


Quinto, sunt quidam psalmi Eucharistici, quibus aguntur gratiae DEO pro beneficijs, & liberatione ex uarijs necessitatibus, & eo pertinent omnes psalmi, qui Deum celebrant & laudant in operibus suis, & hi sunt precipui in hoc toto libro, & proprie pertinent ad psalterium Eo n. consilio totus liber proprie conscriptus est, scz ad laudandum Deum, & colendum cultus primi praecepti. Ideo in Heb. Sepher Tehillim, uocatur, idest, liber laudum, & gratiarum actionum.

Sed monendus est etiam Lector, psalmos non ita superstitiose, in singulis uersibus, in hos locos dissecandos esse, Nam pleriq; psalmi duos tales locos continent pleriq; tres, pleriq; omnes quinq; locos,

locos, Nam pleriq; simul prophetiam, doctrinam, consolationem, orationem simul & gratiarum actionem continent. Sed ideo solum hec indicaui, ut sciant lectores de his quinq; potissimum agere psalmos, idq; non tantum ad intelligendum, sed etiam aliquid ad ordinem, & memoriam, descendendi & ediscendi psalmos condudit.

28





## S V M M A R I A

### P S A L M U S P R I M U S.

**P**SALMVS primus est consolatorius, quo excitantur pijs, ut uerbum dei, in quo tota uis sita est, ueræ uitæ & salutis, omnino magni faciant, illudq; libenter audiant, legant, expendant, meditentur. Ostendit autem eos solos, ueræ beatos, in omnib. reb. fœlices esse, firmam, certam, & eternam habere consolationem, reb. secundis iuxta ac tristib. quibus ex uerbo uoluntatem, ac opera dei cognoscere, & discere datum est.

Et perinde, atq; procera, et subinde altius crescent palma, ad profluentem sita, contra quarūuis tempestatum iniurias suum robur, & uirorē retinet, & occulto auctu, indies redditur florentior, fructumq; affert tempore suo, ita ait, sanctos, spiritu & uerbo subinde crescere, aduersus queuis mala, reddi inuidios, firmiores, & constantiores, ac in omnes uitæ casus munitiones.

Econtra, ex humanis doctrinis quāvis in specie blandis, negat esse cognitionē dei, aut firmam consolationē. Impij, inquit, & hypocritæ, quasi paleæ a uento dispelluntur, idest, impij franguntur afflictionib. in morte & temptatione non perdurant, et tandem ipsi se se, a coetu honorū segregant, ac deficiunt. Deus autē paterne respicit tantum eos, qui audiendo, discendo & predicando uerbo dei, cum

B colunt

## PSALMORVM.

colunt, quos et hic Psalmus beatos pronuntiat.

Reliquos Hypocritas, & Pharisaeicos cultores cum omnibus bonis operibus, & cultibus suis, negligit, & perire in sua cæcitate sinit. Et hic Psalmus fluit ex. 3. præcepto, et spectat ad illud quo dicitur, Memento ut diē sabbati sanctifices, idest, ut uerbū dei audias, discas, mediteris, expendas. Et in oratione Dominica, huius Psalmi summam, complectitur tertia petitio, qua dicitur,  
SANCTIFICETVR NOMEN TVVM  
Vbi petimus ut regnum dei, uerbo edificetur, & crescat, & tandem perfecte reueletur, & uoluntas eius fiat, utrumq; autem sit, cum pure docetur & discitur, et serio ac diligenter tractatur, VERBUM DEI, quod MANET IN AETERNUM.

## PSALMVS II.

**H**ic Psalmus, est insignis prophetia de Christo, quē citant in Act. Apostoli ca. 4. quo prædictur, Christum per passionem & crucem, glorificandum esse, & futurum regem, ac dominū, omnium creaturarum, cui potestas sit in cœlo et terra. Cuius nomen sit, super omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & continet simul hic Psalmus post descriptionem regni Christi, horrendas minas dei, aduersus Reges, principes, sapientes & potentes in mundo, & omnes

## S V M M A R I A

omnes sint perituri, qui humanae rationis, et car-  
nalis sapientiae sensu dementati, hunc Regem Chri-  
stum non agnoscunt, Euangelio no[n] obediunt, reg-  
num eius oppugnant, et nomen eius delere conatur.

Econtra hic Psalmus ualde egregias promis-  
siones habet, nempe q[uod] cœli habitator, p[er] quo Re-  
ges terre uermiculi sunt, oia consilia, oes callidas  
machinationes contra uerbum, et hoc regnum  
Christi, repente cludit, et ridet, et credentes ac  
Ecclesiam in mundo, in medio regno diaboli, sem-  
per mirabiliter, et potenter saluat, seruat, libe-  
rat, auget, inuitis omnib[us]. inferorum portis. Et hic  
Psalmus fluit ex primo p[re]cepto decalogi, Vbi  
d[omi]n[u]s promittit se fore DEVVM NOSTRVM, qui  
nos seruaturus sit, et ex omnib[us]. afflictionib[us]. erep-  
turus, quemadmodum et per Christum liberavit  
a peccato, potestate diaboli, morte et inferno, et  
eternam uitam dedit. Hoc petimus in secundo  
membro orationis Dominicæ, Adueniat regnum  
tuum.

## III. PSALMVS.

**E**st oratio Dauidis, suis difficillimis temporib[us].  
In tentatione lōge maxima. Et proponitur hic  
nobis insigne exemplū, sumi et spiritualissimi uiri  
Dauidis, quomodo ille, Absolonicis temporib[us], cum  
ab eo uniuersus Israel defecisset ad Absolone, quo-

A ij modo

## S V M M A R I A

modo inquam ille uir tantus, iam exul, desertus,  
a suis domesticis proditus, in summo uite & salu-  
tis periculo, in hoc suo grauiss. casu, in hoc tanto  
suo agone, coram deo in fide orauerit, quo ardore  
cordis ad deum clamarit. Et in fine, miro affectu,  
& insigni experientia fidei, magnifice extollit  
magnitudinem potentie & bonitatis diuinæ.  
Cū, inquit, DEI EST SALVS, q. d. Ille est Dominus  
apud quem summa est omnis salutis, omnia mo-  
menta, uitæ & mortis. Ille regna constituit & mu-  
tat, pro suo nutu. Nullū periculum est tantū, nulla  
mors tam præsens, ex qua ipse suos non possit  
eripere, tantum si illum, uera fide, inuocent, si ad  
ipsum confugiant. Et hic Psalmus pertinet ad pri-  
mum præceptum, quo dicitur, Ego DEVS TVVS  
& comprehenditur in se p[ro]ptima petitione, oratio-  
nis Dominicæ, ubi petimus, Libera nos a malo.

## P S A L M U S   I I I I .

**H**ic Psalmus est cōsolatorius sed tamen simul  
etiā docet, constanter ferre afflictionē, et ex-  
pectare auxiliū dei, et fidere illi reb. aduersis. Mag-  
na enim omnino, & uere Christiana ac spiritualis  
sapientia est, incognita mundo, scire hoc, & quoti-  
dianis temptationib. ac uarijs exercitijs fidei, disce-  
re, q[ui] deus, ideo in hac uita afflictionib. sanctos ex-  
ercet,

## PSALMORVM.

ercent, ut cognoscant uoluntatem dei, ideo, odijs acerbissimis, mundi, & diaboli obiscit, ut mirabi- liter eos, in medijs periculis, in media morte, ser- uet, cripiat, consoletur, corroboret, glorificet, utq; Ecclesiā in medio regno diaboli, semper luctante, contra omnes mundi procellas, cōtra quasuis nu- bes, tenebras, et tempestates quarūis temptationū, per fidē & uerbū semper inuictam, esse ostendat.

Acerrime autem hic Psalmus, obiurgat omnes hypoeritas, & impios, qui in mundo soli uolunt, sanctissimi, & populus dei, ui- deri, qui etiam dicunt, se colere deum, & ignorant illum, qui tempore afflictionis, muliebris- ter trepidant, & impatienter frementes, in corde contra deum, ac sanctam illius uoluntatem, obliti cito uerborum, & operum dei, impie relicto deo, (qui solus solide consolari potest) non expectan- tes auxilium, odio crucis, consolationes querunt humanas.

Cum tamen, neq; ex amīcis, neq; ex opib. ulla sit firma cosolatio, sed DEVS solus, eterna, & cer- tissima sit consolatio, quam nulla creatura neq; hic nec in futuro eripit. Verum hæc pax & conso- latio dei, non est ut pax mundi. Scitote, inquit, quoniam misericorde, deus agit cum sanctis, proster- nit eos ut erigat, affligit ut consoletur, deprimit

B iij      ut ex-

## SVM MARIA

ut exaltet, contristat ut letificet, breuiter, mortificat, ut uere uiuifiet. Agones ergo piorum, in hac uita aduersus peccatum, diabolum, indefinenter, oppugnante, et querente cribrare tanquam triticum, exercitia sunt fidei, et pacientiae, ex quibus discunt piissimi, clarius agnoscere presentiam dei, quod ipse adest nobis non deserens, non derelinquens, credentes, sed mirabiliter e tot et tatis mortibus eripiens, seruans et liberans.

Impi uero, et hypocrite etiam si ore sonent deum, tamen deum et hanc uoluntatem dei oderunt, sicut primum preceptum dicit, HIS QVI ODERVNT ME, ET deus illorum VENTER est, ante omnia uolunt fibi salua esse fortunas, opes, amicos et cetera, et confidunt in opibus suis. Illi derident hanc doctrinam fidei, et si quis illis, predicet, hanc patientiam et uerbum crucis, risu excipiunt confidenter, contra pios suam sanctitatem, iactantes. Tu ne talis stultus, nos docebis quae recta sunt? An ex te primum audiemus quid bonum sit, quis sit uerus cultus dei? Et hic Psalmus etiam pertinet ad primum preceptum, docet rebus secundis iuxta ac tristibus, confidere in deo, et pacienter expectare auxilium illius, invocare seruillum, et rem huius Psalmi completatur, tertia et septima petitio orationis Dominicæ, ubi petitus, fuit uoluntas tua, et libera nos a malo.

Psalmus

## PSALMORVM.

## PSALMVUS V.

**H**ic Psalmus ē, ardens precatio, aduersus no-  
centissimā pestem Ecclesiæ, falsos doctores,  
Oīa secula, inde a Cayn, primo nato homine, post  
creatū Adam, primo hypocrita, primo etiam uiro  
sanguinum, habuerunt suos Caynicos sanctos, suos  
pseudoprophetas, pseudapostolos, et fanaticos spi-  
ritus, qui humana sua somnia, suas traditiones do-  
cuerunt, pro uerbo dei, qui, pro sua Caynica sanc-  
titate, pugnantes, siti quadam semper flagraue-  
runt forbendi sanguinis Habelici, & uerorum  
sanctorum. Illos Christus quoq; in Euangelio ui-  
peras uocat, illorum blasphemias in deum, crudeli-  
tatem in homines, perstringit hic Psalmus, ipsosq;  
tanquā uirulentissimos hypocritas, durissime ob-  
iurgat, in quorum doctrina & operib. nihil q̄  
fucus, nihil q̄ dubitatio, inquietudo, carnificie-  
na conscientiarum est, qui opprimentes uerum  
uerbum, doctrinam fidei, uerum cultum dei, nem=   
pe cultum primi præcepti, et nullum finem facien-  
tes sauiendi aduersus pios, horribilia damna dāt,  
& in immensum nocent in Ecclesia. Econtra, petit  
in hoc Psalmo, q̄ deus uelit, impedire sanguinaria,  
& Caynica consilia talium Hypocitarum, &  
eiusmodi sanguinarios ac dolosos, perdere, in tan-  
ta autem acerbitate & immanitate odiorum dia-  
bolí &

## SVM MARIA

boli et mundi, in tam infinita crudelitate hostium  
tueri, consolari, erigere et defendere pios confun-  
dere aut impiorum hypocrisim, falsos cultus conser-  
uare cursum uerbi, et uerum cultum dei, et contra fale-  
sam fucatam, glorificare ueram Ecclesiam.

Vltimo uersu, annectit egregiam promis-  
sionem, quantumuis a talib. hypocritis crudeli-  
ter tractentur uere pijs, fore tamen ut tandem la-  
tentur se exauditos, et iudicium dei palam uidea-  
ant in hypocritas, et Phanaticos, et ueram Eccle-  
siam defensam. Hic Psalmus pertinet ad. 1. & 2.  
præceptum Decalogi, & .1. ac .2. petitionem  
orationis Dominicæ, ubi petimus, ut nomen dei  
celebretur et sanctificetur aduersus talia hominum  
nomina, et gloriae.

## PSALMVS VI.

**E**st precatio, plena affectib. illis summarum et oc-  
cultarum temptationum, quos experientia citius  
quis cognouerit quam ullis uerbis, ubi intus corda  
sanctorum agonizant, illos accerrimos et ineffabiles  
agones, incognitos mundo, et hypocritis, ubi ago-  
nizant inqua, et luctantur, cum peccato, lege, ira  
et iudicio dei, Hec oia sub horas tenebrarum, hor-  
ribiliter urgente diabolo. His terroribus et pauoribus  
internis, ubi satis paucet et sudant oes pijs, necesse  
est opus

## PSALMORVM.

est opprimi hypocritas, qui sunt sine uerbo. Nam, ibi lucta est ineffabilis, iustitiae cum peccato, legis & ire dei, cum fiducia misericordiae, fidei et spes, cum desperatione. Hos pauores alias scriptura uocat, passim in psalmis, dolores inferni, et laq̄os mortis.

Sed hic Psalmus pr̄sertim in fine, ostendit fore, ut suspiria & gemitus ineffabiles piorum, in eiusmodi agonib. dolorib. et angustijs, exaudiātur. Hic Psalmus et similes, aperiūt nobis Dauidis cor, & maxima consolatio sunt pijs. Ostendunt. n. ut quamuis grauiter in talib. angustijs, et his meritis spectris irae agonizent sancti, tentationes tamen, quae tunc apparēt infinitae & eternae, habituras esse finem, deum non deserturū pios, in his, mortis & inferni, pauorib.

Et ecōtra miro zelo, Propheta hoc psalmo diuissime, et acerrime increpat, oēs impios, in mundo. In primis aut̄ securos hypocritas, seu Cynicos phariseos, uocans eos, quamvis in speciem sanctos, operarios iniquitatis, qui plerunq; eiusmodi afflitos et ueros Christianos, acerbitate Cynica, persequuntur, et satanice odisse non desinunt, qui super dolorem uulnorum addunt, et afflitos affligunt. Apagete inquit uos hypocritæ, Ego, didici me habere deum uos ignoratis Deum, & opera eius, uos non scitis quanta moles sit ira dei, & quam

## SUMMARIA

plane refrigerium magnum & uita æterna, remissio peccatorum, sensus gratiæ. Vos ore & labijs colitis dcum, Vos uestris iusticijs & operib. fidiatis, ignari, quid deus, quid peccatum &c. Ergo uerbi, & ueri cultus DEI, in quo sacrificium deo summum est, spiritus sic coangustiatus et afflatus, acerbissimi & crudelissimi hostes es sis. Hic Psalmus pertinet, ad primum & secundum preceptum, continet agonem fidei, et inuocat deum, contra impetum, peccati & mortis, & pertinet ad primam petitionem orationis Dominicæ, quæ admodum et alijs precatorijs Psalmi. Nam precari & orare, est sanctificare & inuocare nomen eius.

## PSALMVS VII.

**E**st precatio, contra uulgatam & cōmunem blasphemiam, qua mundus accusat Prophetas, Apostolos et alios pios, tanquam seditiosos, qui dissident Reſp.ociū, et cōmune pacē turbēt. Quemadmodum Semei, filius Iemini, Dauidi iam grauiter afflito, malis Absolonici temporis, hostili acerbitate exprobrat, quia sanguinum esset qui inuisisset regnum Saulis &c. Et quemadmodum Iudei Christum coram Pilato accusabant & iam quidam Hypocrite, Episcopi & alijs contra conscientiam,

Euan<sup>s</sup>

## PSALMORVM.

Euan gelij titulo SEDITIOSI, insigniunt. Contra eiusmodi tentationem, quæ sane, durissima est, Propheta pugnat orando coram Deo, et suæ innocentie, testem facit deum. Deinde ad erigendos, consolandos pios, ostendit orantes exaudiri, & seipsum ponit pro exemplo, & horrendum subitum ac repentinum iudicium, minatur hypocritis, & Tyrannis, qui sic in pios odijs acerbissimis suis, sciuunt & in fine subindicat, eos perituros sicut Absolon, qui in medio cursu furoris sui, antequam hoc efficeret, quod cogitabat, subito et novo mortis genere extinctus, miserrime perijt. Hic Psalmus pertinet ad secundum preceptum Decalogi, & primam petitionem orationis Dominice.

## P SALMVS VIII.

**E**st Prophetia de Christo, de illius Passione, Resurrectione, & regno, super oës creaturas, quæ ad modum Apostolus hunc Psalmum Ephesios. i. de regno Christi citat, Prædictum autem, potentiam & uires illius regni fore inuitas, aduersus omnes hostes, quamvis uindicandi cupiditate, incensos, & flagrantes, scz aduersus omnes Sapientes, potentes, mundi, Hypocritas, & Pharisaicos sanctos Inuitas inquam, non armis, aut magnis copijs, equitum

## SVM MARIA

equitum, aut peditum sed uerbo Euangeliū, quod  
prædicatum per infantes & lactentes, id est, hu-  
miles, & coram mundo infirmos ac contemptos  
homines, & creditum in Ecclesia illa pauperum  
afflictorum, clamantium, & plorantium, tamen,  
omnem sapientiam mundi confundet, omnia for-  
ta, franget & deprimet, nec ullius creaturæ ui-  
rib. in cursu suo impediri poterit, sed firmius, quā  
cœlum, Sol aut Luna stabit, & permanebit. Hic  
Psalmus, pertinet ad primum præceptum, q̄ deus  
uult esse noster deus, & ad secundam petitionem  
orationis Dominicæ, sicut de proximo Psalmo di-  
ctum est.

## PSALMVS IX.

**E**st prophetia, et habet titulū, de speciosa iu-  
uentute, hoc est, de pueris, & renatis denuo  
in Christo, ac populo dei, de Ecclesia Christi. Nam  
populū, & filios dei, ac pueros renatos, per fidem  
in Christū, oportet conformes fieri imagini dilecti  
filij, IESV CHRISTI. Affliguntur ergo uarie Chri-  
stiani, & ueri filij dei, in mūdo, et sanguis innocē-  
tum, per furorem et crudelitatem Satane, contra  
uerbum et opera dei frementis, quotidie funditur.  
Hi sunt illa, florida, & illibata iuuentus, filij &  
pueri dei irreprehensibles, infantuli innocentes,  
in medio

## PSALMORVM.

in medio luporum, et nationis prauæ de quib.  
titulus Psalmi loquitur, Habet Psalmus hic proso=  
popœias suas, et hec prophetia, scripta est in mo=  
dum gratiarum actionis, proinde inter Psalmos  
consolatorios numerari potest.

Nam ut in talib. canticis, et spiritualib. carmi=  
nib. solet fieri, loquitur hic Prophetæ in persona  
sua, et omnium Sanctorū, qui affliduntur propter  
uerbū dei, et miris affectibus agūt gratias, q̄ Deus  
nō deserit suos, sed lachrymas, et sanguinē sancto=  
rū requirit, et Ecclesiam, nec ferro, nec igne, nec  
corporalium nec spiritualium hostium, robore de=  
lebilē, etiā in medio sanguine, in morte, seruat, au=  
get, et quasi ex cruento, cinerib. ac ossib. Sanctorū  
excitans, subinde, mirabilib. modis reflorescere,  
et crescere, nunc hic, nunc alibi facit. Sic ut etiam  
aliqui ex acerbissimis hostib. conuertantur, et ex  
Saule Paulus fiat, subinde etiam impij et indu=  
rati iudicentur, et coram oculis piorum, percant.  
Pertinet ad primum præceptum Decalogi, et ad  
secundam petitionem orationis Dominicæ, sicut  
de proximo Psalmo dictum.

## PSALMVS X.

**H**ic Psalmus est precatio, ardens et continet  
quærelas

## S U M M A R I A

querelas, plenas affectib. contra atrocissimum hos  
stem, regni dei, & Euangeli Antichristum, qui  
Ecclesiam non tantum ui & tyrannide, sed & Sa-  
tanica πανοργια, fraudib. & imposturis et in-  
finita uarietate, & fuso hypocrisis, oppugnabit  
& perdet, et illum hominen, peccati graphicce de-  
scribit hic Psalmus, q; gladio scz, crudeliter, seu  
et in corpora et callidissima, et infinita hypocrisy,  
falsorum dogmatum, et dulci ueneno, speciosorum  
cultuum, perdet & extinguet animas. Neminem,  
autem placide curabit docere, neminem, serio ad  
ad pietatem erudire, aut consolari, sed os eius erit  
plenum execratione & dolo.

Hoc uidemus in regno Pape, & Tyrannide  
Romana, Execrationes sunt, illa, fulmina excom-  
municationum, quibus formidabilis, sub falso pre-  
textu nominis Apostolici et diuini, etiā Regib. esse  
uoluit & potuit. Doli & mendacia sunt, Infinita  
illa et inexplicabilis uarietas hypocrisy, traditio  
nū hūanarū, Fucata sanctitas, falsi illi cultus, quib-  
nunc missarum, nūc indulgenciarū nundinatione,  
diuina humanaq; omnia, sub blasphemico fuso, nomi-  
nis diuini, scelerate inuestu habere Antichristus,  
non desinit. In fine psalmi ponitur consolatio, q;  
talis abominatione in fine mundi, reuelabitur, &  
iudicio manifesto dei, subito palam fiet ac eradicatur

## PSALMORVM.

bitur. Hic psalmus pertinet ad secundum preceptum, & ad primam petitionem, orationis Dominicæ sicut omnes precatorij psalmi.

## PSALMVS XI.

**H**ic psalmus est querela aduersus, Hereticos, et Phanaticos spiritus cuiusmodi nunc sunt, qui auocant homines, a doctrina sincera fidei, a uero cultu dei (qui situs est, in uera fide & timore erga DEVUM in corde) ad hypocrisin, quæ semper magna res, & excelsa apparet, qui inq homines quasi aues, subito transuolare faciunt ad suos montes, idest, facile declinare ad hypocrisin & sanctitatem fucatam, quæ in speciem apparet sublimis & magna, & firma petra, cum nihil sit.

Attribuit autem eis id quod proprium est talium hypocitarum, q; arroganter, superbe, & sublimi despiciant, & derideant uere pios. Iustus inquiunt, idest, Ille bon Christian, ille miser homo quid faceret? In fine autem est consolatio, quod DEVS certo, respiciet & exaudiet, afflictos, præsens aderit illis, & ostendet manifestis operib; se non deserere suos, ac horrendo iudicio, animas ad uertet in eiusmodi subsannatores, Phariseos, et similis hostes uerbi dei. Hic psalmus pertinet ad. z. preceptū Decalogi, & primā petitionem orationis Dominicæ.

Psalmus. xij

SUMMARIA  
PSALMVS XII.

**E**st precatio, continens graue querelā, aduera-  
sus eos, qui pro uerbo dei inuchūt doctrinas  
humanas, qui subinde nouis traditionibus, et culti-  
bus, conturbant Ecclesiam, & omnia implet, fu-  
cata religione, pharisaico fuso, & hypocrisi, ut  
undiq; regnent impij & hypocrite, sicuti ultimus  
uersus conqueritur. Nam ubi doctrinae humanæ,  
semel inuaserint Ecclesiā, ibi quā latissime grassan-  
tur, & ueluti cancer serpunt, ibi nullus est finis  
corruptionis & damni, ibi occupant omnia &  
mire cruciant, ac uexant conscientias, sic ut ual-  
de imminuatur, et breuis reddatur, numerus uere-  
piorum, & sanctorum, exemplum est Papisticae  
hypocrisis infinita uarietas.

Sed contra hoc solatur nos, q; DEVS semper in  
Ecclesia excitat tamen, nunc hoc, nunc illo orbis  
angulo, salutem suam, idest, uerbum suū, & Euangeliū,  
quo Prophetæ, Apostoli et reliqui ministri,  
passim per orbē, fortiter, et plane εν παρογήσιο,  
docentes, contra illam hypocrisin, falsas doctrinas  
iudicat et produnt, et impios cultus euertunt, ubi  
scz salutare dei, idest, salutiferū uerbū Christi &  
Euangelij, ueluti subito exortus ignis, paleas &  
stramina humanarum traditionum, haurit & ab-  
sumit, & conscientias liberat. Sed tamen hoc non  
fit sine

## PSALMORVM.

fit sine afflictionib. et uaria cruce, sed quemadmo-  
dum aurum & argentum igne probatur, ita uera  
cognitio, & puritas uerbi, non conseruatur in  
Ecclesia, nisi in uere spiritualibus & p̄ijs, qui  
propter uerbum, intus et foris uarie a Satana, ex-  
ercentur temptationibus & ueluti aurum in  
igne probantur, ac sic in cognitione Euangelij, &  
tantarum rerum quotidie crescunt, et proficiunt.  
Hic Psalmus pertinet ad secundum & tertium  
praeceptum Decalogi, & ad primam & tertiam  
petitionem orationis Dominice.

## P S A L M V S XIII.

**E**st precatio, plena gemitibus, & suspirijs  
cordis afflitti, sub horam tenebrarum, in-  
genti dolore & angustia, ac ineffabili mesticia, in  
illa caligine temptationis pene oppressi. Atq; illius  
mesticie author, est ipse spiritus tristis & diabolus,  
dum in illas perturbationes, repente coniicit' in-  
cautos, quos non inuenit armatos gladio uerbi  
dei, dum auertit nobis oculos a promissionib. &  
uerbo dei, ad respiciendam, incredibilem ingrati-  
tudinem & maliciam mundi, ad respiciendam,  
perplexam uarietatem scandalorum, & magni-  
tudinem periculorum, que subeunda sunt

C propter

## SUMMARIA propter uerbum & nomen DEI.

Fieri enim non potest, quin homo sanus ue-  
hementer perturbetur, si consideret, quibus malis  
artib. quib. dolis, qua acerbitate Caynica odiorum,  
Satan & homines impij, opponant se uerbo, de-  
inde que sunt defectiones, que ingratitudinis mon-  
stra, apud eos, qui se nobiscum esse simulant, que  
etiam scandalum Satan excitet, apud eos qui nolunt a  
studio pietatis alieni uideri. Sed oratio Ecclesie  
est potens perspringit & uincit potenter omnia  
odia, & pericula, omnes insidias, quis inde-  
nentes & potentior est fides, quo quis impetu &  
turbine temptationum.

Hec est uictoria, inquit Ioannes, quae uincit  
mundum, fides nostra, ut hic Psalmus, eius fidei  
dat exemplum. Et in media illa morte, ne dubite-  
mus DEVU, posse & uelle in talib. angustijs &  
terrorib. nos consolari, et discamus, fore, ut ex  
hac mesticia, quamvis appareat perpetua eluctio-  
mur, si modo, auertentes nos a spectris, tri-  
stib. & tenebris cito apprehendamus uerbum,  
et utcunq; contra pondus hoc nos erigamus, con-  
solatione uerbi DOMINI, Sicut Iacobus dicit, si  
quis contristatur oret. Et hic Psalmus, pertinet  
ad secundum præceptum, & ad primam & ulti-  
mam petitionem orationis Dominicae, ubi peti-  
mus, Et libera nos a malo.

## PSALMORVM.

### PSALMVS XIII.

**E**st Prophetia, & simul docet, q̄ omnes dom  
strinæ humanae, & opera bona sine fide, sint  
abominatione coram Deo, & q̄ talium Hypocrita-  
rum, quorum similes sunt, Papa, & sui papistæ,  
Deus uenter, est, suo uentri enim seruiunt, non  
Deo nec CHRISTO, & domos deuorant uiduarū.

Sed tales hypocritæ, quāuis semper in ore ha-  
beant nomen Dei, & iacent legem, & opera le-  
gis, non nouerunt, quis sit uerus cultus Dei, sed  
semper oderunt persequuntur, nomen & uerbum  
Dei. Veram autem doctrinam, de timore & fide  
erga Deum audire nolunt. Contra tales, oratione  
pugnandum est, que exaudietur, ut hic ultimus  
uersus innuit, qui regnum CHRISTI promittit.  
Nam hic Psalmus potissimum, perstringit, Pharie-  
saicos illos sanctos, Doctores legis, qui ante Christi  
aduentum, urgendo opera, & iusticiam legis, tor-  
tores sœui erant, et uexabant conscientias, et pro-  
mittit hic psalmus illum optandum diem salutis,  
& redemptionem aduentus CHRISTI.

Nam ex Sion reuelatum est Euangeliū, &  
in Hierusalem super Apostolos effusus spiritus.  
Pertinet ad primum & tertium præceptum, Nam

Cij magnifice

## SUM MARIA

magnifice extollit, uerbum Dei, et promittit dicens  
salutis, scz CHRISTI, Obiurgat autem, hypocritis,  
qui negligunt summum cultum Dei, timorem  
& fidem, Deoq; non seruiunt, sed suo uentri, &  
pertinet ad primam & secundam petitionem ora-  
tionis Dominicae, ubi oramus, Sanctificetur no-  
men tuum.

## PSALMVS X V.

**H**ic Psalmus, contra hypocritas, qui sanctitatem  
sitam esse ducunt, in simulatis operibus  
legis Dei, uel inanibus, et stultis operibus, humanarum  
traditionum, docet legem Dei recte intelligere, et  
syncere ac pie uiuere, scz, monens ambulandum  
esse spiritu, & desideria carnis mortificanda.  
Nam, hec demum est summa totius pietatis, id est,  
per fidem, puro corde Deum colere & dilige-  
re. Secundo, ad proximi utilitatem dirigere uis-  
tam, et omnia uitare, que cum his duob. pugnant,  
hypocrisim scz, & simulatam sanctitatem, que  
fidei simul, aduersatur & charitati. Nam uerum  
Dei cultum, ignorat, & omnia opera uere bona,  
erga proximum negligit, pertinet ad tertium  
præceptum Decalogi.

## PSALMORVM.

### PSALMVS XVI.

**E**st Prophetia de passione CHRISTI, & resurrectione, Nam et Apostoli illum in Act. 2. & Cap. 13. de Christo, potenter citant, in hac parte autem hic psalmus est, eximus, et gemma quedam inter psalmos, q[uod] claris uerbis dicit, Illum totum splendidum et magnificum cultum legis Mose, Sacrificia, sabbata, circucisionem, que omnia sine fine, iactabat ille populus, contra ueros prophetas, abrogandum esse, per Euangelium, Nam quarto uersu clare dicit, eos qui opera, & iusticiam legis sectantur, alienos Deos & Idola sequi, & ostendit. Iudeos, qui uis sanctum populum abiiciendos esse, & eligendum alium nouum populum, scilicet credentium in Christum, qui uere, sit electa hereditas & peculium Domini. Et hic Psalmus pertinet, ad primum, secundum, & tertium preceptum, Nam Dei nouam gloriam, opus et uerbum, & nouum illum cultum, qui post quieterem illum, reuelandus erat in mundo prænuntiat, & pertinet ad primam & secundam petitionem orationis Domini nicae.

### PSALMVS XVII.

**E**st precatio continens querelam, aduersus falsos doctores, & teneros illos sanctos nimis  
Cuij rum

## SUMMARIA

rum hypocritas, qui suis humanis doctrinis, auctorant a uerbo Dei, & uere pios doctores, oderunt ac persequuntur, quos & Paulus uocat, inimicos crucis Christi, nam propter deum nihil pati uolunt, sed crucem fugiunt, & praetextu nominis, ac cultus Dei, illis artificijs sue hypocrisis nihil aliud querunt, quam commoda terrena, honores, opes, fauore hominū, uoluptates & consolationes mundi, ideo uocat eos in penultimo uersu, homines uite, & mundi huius. Eiusmodi hypocrite, sunt illi uentris animalia passim in cœnobijis, terræ pondera, monachi, sacerdotes ociosi &c. Et hic Psalmus, pertinet ad secundū & tertīū præceptū, & ad primam petitionem orationis Dominicæ.

## PSALMVS XVIII.

**E**st gratiarum actio, qua Dauid gratias agit DEO (sicut titulus Psalmi indicat) quod ab omnibus inimicis suis liberatus sit, & huius Psalmi 4. partes facio. Nam, Dauid quadruplices hostes sustinuit, Saulem Regem, Gentes Vicinas, Absalonem filium, & seditiones. In principio Psalmi, prioribus sex uersibus describit, magnitudinem periculorum, doloris & angustiæ sue in tot & tanti afflictionibus, ex quibus cum Dominus liberavit, Dolores inferni, inquit, circu dederunt me.

Deinde

## PSALMORVM.

Deinde in septimo uersu (more prophetarum) illis uerbis alludit, ad liberationem, Ex Aegypto, opera illa magnifica, ad montem Synai, & in mari rubro, indicans, q̄ sicut tunc Deus e media morte, potenter liberavit, populu, ita se quoq; nō semel, quasi denuo e manu Pharaonis etc. e media morte, potenti brachio, & excelsa Dei dextera liberatum esse. Deinde in. 16. uersu & 17. Cum inquit liberasti, a fortib. inimicis, & his qui me erant potentiores. Saulem indicat Regem, qui hostili odio & acerbitate, persequutus est Dauidem, propter uerbum Dei, q̄ electus erat in Regem & surrogatus Sauli diuinitus. In. 26. uersu celebrat Dei bonitatem, qui adeſt, humili. contemptis coram mundo, & abiectis contra, potentes & superbos, sicut illi adfuit, mirabiliter dans uictoriam cōtra Goliath, Philisteos, Amalech & alias gētes. Versu. 34 subindicit, aliquid de tertio suo domestico atq; eo atrociori hoste, filio Absolone.

Cum de primis me inquit, magnifice glorificas me. Deinde uersu. 42 agit gracias Deo, qui illi mirabiliter adfuerit, contra, callida consilia & insidias seditionum, Cuiusmodi erat Siba, & tempore Absolonicō pene totus Israel. Habuit. n. optimus & pietatis amantissimus Rex, multos inestinos, & domesticos hostes & ciues seditiones, ad eos

## S U M M A R I A

sos, adeo etiam, ut extere gentes, (ut hic dicit) obsequentiōres illi essent, q̄ suus populus. Ita quilibet afflictus, pr̄sertim, si quis in magistratu sit, potest uti hoc Psalmo, ad agendas gratias Deo, pro liberatione ex uarijs periculis, & aerumnis, que in administrantib. Remp. uel Ecclesiam gubernantib. incident.

Si quis autem allegorice uelit applicare psalmum, Dāuid, significat, hic Christum, illius Saul, sunt Iudei. Gentes persequentes hunc Dauidem, Tyranni mundi qui opponunt se Euangelio. Absolon, Heretici qui ex nobis prodeunt, & ex nobis non sunt. Seditiosi, sunt fucati Christiani, qui oratione resonant Christum, & corde alieni sunt a Christo. E quibus omnibus afflictus ille Dauid, idest, Christus, & hi qui Christi sunt, tandem liberantur. Pertinet ad secundum pr̄ceptum Decalogi, & priuam petitionem orationis Dominicæ.

## P S A L M V S X I X .

**E**st prophetia, de predicando Euangelio omni Creature, sub omnib. cœlis, q̄ late patet totus orbis terrarum. Dies diei, inquit annuntiat uerbū, idest, de die in diem, noctu diuīs uoce Apostolorum & ministrorum uerbi subinde latius

## PSALMORVM.

latius propagabitur uerbum Euangelij, idq; non tantum in iudea, sed in omni terra, passim, per orbem, omnium gentium linguis prædicabitur. Et quemadmodum, inquit, uiuifica luce Solis, illuminantur, fountur, recreantur omnia, in his reb. corporalib.

Ita, hec noua lex & uox Euangelij, illuminabit, & subministrans spiritum, uiuificabit, & purificabit corda, erigetq; ac consolabitur, conscientias. Atq; ibi subindicat legem, ueterem, que erat diaconia mortis, esse abrogandam, et successurum esse Euangelium, quod est ministerium uitæ et spiritus, Quod erit uerbum amabile, ex petendum illuminans oculos, letiscans corda, Hic Psalmus pertinet ad tertium preceptum, annunciat enim uerum Sabbatū, tempus scz Euangelij, quo Euangelium in toto mundo, prædicabitur & accipietur a credentibus.

## PSALMVS XX.

**E**st oratio, pro Regib. Principib. & magistratib. & omnibus his, qui grauissimum illud onus subeunt, administrandi Republicas, Ut scz in reb. tantis, quib. impar est omnis sapientia, & diligentia humana, (quemadmodum experientia

C p edocti

## SUMMARIA

edicti testantur Ethnici) magistratibus sic expositum omnium, odio, sinistris iudiciis, & insidijs, dignetur adesse Deus, & retinere subditos in officio, dare benedictionem, ad conseruandum bonum & felicem statum regni, & publicam pacem, presertim cum Satan, horribili odio aduersus Deum, & opera Dei, concutur dissipare politias, omnia miscere cede & sanguine.

Homines illi magni & spiritualissimi, qui hunc et similes psalmos ediderunt, satis uiderunt, res tantas non posse regi, aut gubernari, sapientia, aut ullis consiliis humanis. Ideo eiusmodi formulas precationum, pro salute magistratum, conscribere uoluerunt, & transmittere ad posteritatem. Nam in illo populo Dei in primis hoc necessarium fuit, ubi David & alij piij, subinde nouis hostib. & afflictionibus, atq; his durissimis exercebantur.

Stulti ergo Reges sunt, & Principes, qui non e cœlo, petunt & expectant, rerum tantarum felicem gubernationem & successum &c. Pertinet ad secundum præceptum, Continet enim invocationem non nisi DEI, & ad tertiam petitionem orationis Dominicæ, Fiat uoluntas tua.

# PSALMORVM

## PSALMVS XXI.

**E**s Prophetia, de regno Christi, scz quod, ilius regnum, erit spirituale & aeternum. Initium Psalmi, magnifice praedicat, fore ut ille Rex, & populus, in hoc regno letetur, magna sit gloria illius regni. Quod intellige ut uerba psalmi sonant, non quidem coram mundo, aut secundum carnem, sed in Deo. Nam, Christus per crucem, & mortem ingressus est in gloriam Preannuntiat, autem hic Psalmus, hoc regnum Christi, Ecclesiam scz, quamvis coram mundo afflictam, spiritualibus benedictionibus, ditandam, & glorificandam, esse, & spargendum hoc uerbum, gracie & remissio-  
nis peccatorum, hoc letum & iucundissimum Euangeliū, in omnes gentes, quo letabuntur, gaudebunt, & exultabunt credentes, & pī, gaudio pleno, & perfecto, quod, nulla creatura, eripere & tollere possit.

Econtra, ostendit, Iudeos qui huic consilio DEI aduersabuntur, & totum ipsorum regnum, horrendo iudicio Dei uastandum esse, Pones eos inquit humerum, idest, illum populum, quia Euangeliū se opponet, & CHRISTVM crucifiget, grauibus, calamitatibus affiges, & reiecto

## SUMMARIA

¶ reiecto illo populo, deleto regno, obolita, & abrogata tota lege, ac cultib. pro quibus pugnat, rediges eos in misericordiam seruitutem, ut sub iugo, & alienis imperijs oppressi, dent sui peccati poenam. Pertinet ad primum preceptum, & secundam petitionem, orationis Dominicæ. Nam, predicit, de novo populo, q. non sit sub lege Mose, sed in illo regno letitiae, & gratiarum actionis, & de novo cultu.

## PSALMVS XXII.

**H**ic Psalmus est, inter omnes Prophetias, de CHRISTO, & regno eius, gema quedam, & omnium maxime insignis, atq; hic si usq; alibi, Davidem, non future rei, prophetiam, sed iam preterite, & quasi spectante gesta, historiam dicas contexere. De Christo enim, pene nibilo obscuriorib. uerbis, quæ Petrus, uel quiuis alias Apostolus, ligno affigendo, clare dicit quasi de re iam facta, Foderunt manus meas & pedes meos, etc.

Continet autem, sublimes illos, & grauiissimos effectus Christi, in medijs iræ diuine, & mortis terrorib. ac paucorib. qui omnem, humanae mentis captum superant, agonizantis, et haud scio, eni; in toto Psalterio, nullus inueniatur, psalmus, res continens

## PSALMORVM.

continens grauiores, aut in quo sic pia corda aga-  
noscere possint, suspiria, & gemitus illos, humana  
uoce inenarrabiles, Domini & capitis sui Chri-  
sti, in media morte, in medijs inferni terroribus &  
doloribus pro nobis luctantis, quare & commen-  
datissimum esse oportuit omnibus, qui eiusmodi  
tentationum fidei, & illorum agonum spiritualium,  
non sunt rudes.

Contemnunt hæc sane, Epicuræi, certe pijs  
& spiritualibus eiusmodi exempla, tum in ipso  
Christo, tum in fraternitate nostra, (ut Petrus in-  
quit) quibusuis totius mundi, opib. & omni The-  
sauro sunt preciosiora. Valde clare autem & ex-  
presse ut dixi, describit CHRISTI passionem, qua-  
si rem coram, geri uideas, Ut autem priores  
passiones, in Christo, ita, etiam sequuturas glori-  
as egregie depingit, hic David, cum in fine, ostendat,  
Christum, ex ore Leonum, & canum, e morte,  
et afflictionibus eripiendum, per resurrectionem,  
diuinitus, glorificandum esse, & Euangeliū,  
non tantum in illo populo, angustis scz, terminis,  
sed in omnibus gentibus, in omnib. regnis esse præ-  
dicandum, et conuertendos ad Christum ping-  
ues terre, idest, diuites & potentes, mundi  
huius, tum etiam pauperes, & Ecclesiam futurā  
eternam, & infinitam posteritatem, illius Regis  
qui

## SUMMARIA

qui adorabitur, in toto terrarum orbe, cuius nōmen, laudabitur, celebrabitur, omnibus seculis, regnumq; durabit in æternū, contra omnia regna mundi, omnesq; creaturas invictum. Pertinet ad primum preceptum Decalogi, Nam, anunciat, nouum cultum Dei, & ad primam spectat petitio nōnem orationis Dominicæ.

## PSALMVS XXXIII.

**E**st insignis graciārum actio, pro accepto uerbo & est exemplum pijs cordis, agnoscētis, q̄ incomparabile beneficium, & donum Dei sit, cognitio uerbi. Magnifice autem, prædicat, & extollit amplitudinem bonitatis & misericordie Dei, ducentis nos in via recta, erigentis & consolantis nos in quavis tentatione, cum alias, hypocritæ ambulent in iuis prauis.

Egregia similitudine comparat se oui, in qua si forte aberrarit, requirenda, seruanda, defendenda, pascenda, fidelis pastor, nullum non laborem impendit. Quod autem sub bono, & uigilanti pastore, amenissima prata, fontes & scaturigines, in medio æstu. sunt ouib. hoc pijs cordib. est uerbū Dei. Alludit aut, ad mensam panū propositionis, et ad Balsamum & oleum letitiae. Nam, ministros uerbi, & auditores, Dcūs pascet, consolabitur, & suo calice latificabit, etiāsi, a mundo contristetur  
litem

## PSALMORVM.

Item uerbum, Dei uocat, Baculum pastoris,  
et quim recreationis, gramen, pascuæ, quib. omnib.  
innuere uult, tantum per uerbum Dei, ueram sa-  
lutem, et pacem, firmam & æternam consolatio-  
nem conscientijs contingere. Pertinet hic Psalmus  
ad tertium præceptum, et secundam petitionem orationis  
Dominicæ.

## PSALMVS XXIII.

**E**st Prophetia de regno Christi, per Euange-  
liū, in toto orbe terrarū, dilatando & pro-  
ferendo. Insigni autem Apostrophe conuertit se, ad  
Reges, Princes, Sapientes, et magnos magistra-  
tus in mundo, quos more Heb. uocat portas orbis,  
ne ignoretis inquit, Terra est Domini, Ipse est Do-  
minus omnium, ipse dedit uobis regna. Ipse Regē  
constituit, Christū, quē nisi adorabitis, et agnosce-  
tis, peribitis, cum regnis uestris, et tanquā uas-  
figuli conteremini.

Hortatur autem, ut agnoscant se peccatores, Nā,  
eliusmodi potentes, pharisei et sapientes in mūdo,  
sapiētia et iustitiae humanae persuasione obsecrati  
maxime fremunt, aduersus Euangelium. Quando  
m. illud regnum gratiae, et remissionis peccatorū,  
predicatur, quādo ille Christus per Euangelium,  
solus rex æterni pacis, rex uictoriosus cōtra pec-  
catū, mortē, diabolū, predicatur, tunc Tyrannorū  
potentū, et sapientū mūdi hæc supbissima uox est.

## S V M M A R I A

Quis est iste Rex glorie, q.d. nunquid illi abiecit,  
et uilissimi pescatores, illa fex hominum, nos do-  
cebit, et pro lege Mosi, pro Religione hac recep-  
ta a patribus, nouum cultum Dei, obtrudent no-  
bis et suum illum, Regem, et persuadebunt nobis  
illud somnium.

Subindicat ergo simul hic Psalmus regnum  
Christi, non fore corporale aut terrenum, nec eius-  
modi, quod dissipet leges politicas, sed regnum, in  
quo prædicatores subiugabunt Christo orbem, et  
regna mundi per uerbum et Euangeliū.

Huic opponēt se Reges et Principes, et Regē ac  
Dominum glorie, crucifigent, Apostolos et mi-  
nistros uerbi persequentur, sed ipse nihilominus  
peruadet omnia regna, et nemine prohibente  
ingredietur orbem, regnabit per Euangeliū in  
medio inimicorum, dabit suis Apostolis et sa-  
pientiam, cui nemo contradicere poterit, ex om-  
nibus repugnantibus, et maximis regnis mundi,  
ut Daniel inquit, commolitis tandem, manebit  
Rex eternus, et uere, Dominus uictoria et glorie,  
Pertinet ad primum præceptum Decalogi, et pri-  
mam secundam ac tertiam petitionem orationis  
Dominice.

P S A L M V S    X X V .

E st precatio, in qua propheta niro ardore  
cordis,

## PSALMORVM.

cordis, optat, se corroborari in fide, et amore uerbi, quāuis hoc magnos & acerbos hostes habeat in mundo, ne frangatur scz, afflictionib. uel scandalarum magnitudine, & uarietate, debilitetur, quando, illos hypocritas Epicureos, tanta confidentia & tam secure uidet, despicere, & contemnere ueram religionem, & uerbum, quasi non sit res digna, qua homines sani, aut liberales uel tantulum occupentur.

Ach Domine, inquit, serua, glorifica nōmē & uerbū tuū. Non confundamur inquit, Nos, qui sic deridemur cōspuimur et propter te, inter tot afflitiones inter tot et tanta scandala pene oppressi, tamē consolationē tuā, expectamus. Sed confundātur, coram deo & hominib. illi bogedim, illi Hypoceritæ, & contemptores qui præ sua carnali sapientia, præ potētia, opib. et alijs reb. mūdi, quas ipsi admirantur & magnificiunt, adeo contemnunt, uerbum & cultum Dei, ut indignum existiment, de quo cogitent, Nostri oculi, inquit, ad te sunt, Domine, tu si quid est infirmitatis in nobis condona nobis, conserua nos in cognitione uerbi sancti tui, & mysterij absconditi a mundo, ad sis nobis in tot & tantis angustijs. Et pertinet ad secundum præceptum, & secundam petitionem orationis Dominicæ.

D

## SUMMARIA

### PSALMVS XXVI.

**E**st oratio ad Deum continuens querelam, aduersus hypocritas, qui operib. legis, uolunt iustificari, qui semper doctrinam ueram, de fide, persequuntur, & eius assertores damnant tanquam hereticos. Vocat autem occuitos sanguinarios, malitiosos, Nam etiamsi, magnam iactent sanctitatem, tamē corda ipsorum, sunt plena odio Dei, & acerbitate, dolo & iniquitate aduersus proximum, sicut Christus apud Lucam, tales Pharisaeos increpat. Vos estis qui iustificatis uos, coram hominib. sed Deus nouit corda uestra, Nam Deum labiotenus honorant, cor autē longe abest ab ipso & Deum reuera non colunt, sed omnia habent, in questu.

Breuiiter, Deo non seruiunt, sed Mammonē & suo uentri, ut Paulus ad Phil. ait, & hic Psalmus dicit, in quorum manib. sunt munera, Magnam autem speciem habet, ipsorum hypocrisis, & Ecclesia falsa, apud quam est potentia, & regnum, semper habet maiorem speciem q̄ uera, que sub formis crucis testa latet. Ideo non segniter orandum est, ut Deus seruet, Nos in Ecclesia uera, ne sinat misceri, rapi cum illis, ne partem nostram

## PSALMORVM.

tum eiusmodi hypocritis, quorum etiam si, alia  
quamdiu uenitent se coram mundo, finis interiu-  
rus, & gloria, in confusione erit, ut in Papa, ex  
regno illius uidimus, Pertinet ad tertium precep-  
tum, & ad primam & secundam petitionem ora-  
tionis Dominice, Nam de uero cultu & regno  
Dei loquitur.

## PSALMVS XXVII.

**E**st gratiarum actio, continens etiam, prece-  
tionem & consolationem, aduersus falsos  
doctores. Tot autem, & tantis afflictionib. tot pe-  
riculis & eruminis, tot acerrimis certaminibus,  
propter uerbum Dei, contra diabolum & mun-  
dum, subeundis, iam eruditus, et exercitus, fatus  
Deo, animosius insultat omnib. hostib..

Dominus inquit est lux, & salus mea, quem  
metuam? id est, Dominus, in tam uarijs tenebris et  
procellis temptationum, toties est, me mirabiliter  
consolatus, & potenter eripuit, qui nec infatu-  
rum, est deserturus. Si Deus pro me, quis contra  
me? Si Deus sustentat, quis impetus hostium, me  
franget, quis euertet?

Non metuo, inquit, infinitos hostes, etiā si me  
unum, contra bellum moucatur, una tantū resolli-

D ij citor

## S V M M A R I A

citor, ut maneam, in domo Domini, id est, inter eos  
ubi sincere docetur et discitur uerbum Dei, et  
in uera Ecclesia. Nam, hanc margaritam si retin-  
nuero, suum diues. Nam si uerbum Dei, retinuero,  
uitam et lucem, id est, meam firmam et aeterna-  
nam consolationem, nulli erunt, terrores tanti ne-  
mors quidem ipsa, qui frangent, si uerbum amise-  
ro, nulle consolationes humanae erunt tantas, que  
seruabunt.

Hoc autem totum dirigit, contra hypocritas  
et falsos doctores, qui tam facile, relinquunt uer-  
bum, et docentes humana, seducunt conscientias.  
Hos uocat hic falsos testes, nimurum quos nihil pu-  
det, qui erubescere nesciunt. Prodigiosa est, auda-  
cia, eiusmodi imperitorum qui sine uocatione, sine  
uerbo, nomen Dei iadantes, seducunt homines, et  
grauia damna dant, in politia simul et Ecclesia.

Nam, ita uidemus accidere, quo imdoctiores,  
quo spiritualium rerum rudiores sunt quidam, co-  
facilius prorumpunt ad docendum, atque hi Pha-  
netici spiritus, sectas, et seditiones posita contra  
uere piis, excitant. Pertinet ad secundum et pri-  
mum preceptum, et primam et secundam pe-  
titionem orationis Dominice.

## P S A L M V S    X X V I I I .

Est ora

## PSALMORVM.

**E**st oratio Dauidis, qua sua etate usus est contra Saulem & similes, maxime autem contra illos Caynicos hypocritas, qui ore tenus simulabant pacem, & tamen, intus occultis flagrabant odiis. Talis uipera erat Absolon filius, erga patrem Dauidem. Talis erat Ioab erga Amasa & Abner. 2. Reg. 5. Dauid ergo metuens ne id sibi imputaretur, orat, ne tradas me, inquit, cum peccatoribus.

Nos possumus Psalmo uti, contra Tyrannos, et Phanaticos spiritus, Nam sic solent Tyranni, & persecutores uerbi, foris simulare pacem, & clamorem, agitare consilia cedis & sanguinis. Item Phanatici spiritus, & omnes pseudoprophete iactant pleno ore, uerbum Dei, & clamitant se querere gloriam, & cultum Dei, promittunt, nihil quod diuina & coelestia, & tamen, que sua sunt, suamque gloriam querentes, perdunt animas, incessanter in uestimentis ouium, & intus sunt lupi rapiaces. Pertinet ad tertium & secundum preceptum, ad primam & secundam petitionem orationis Dominice.

## PSALMVS XXIX.

St Prophetia, de Euangelio, spargendo per totum orbem terrarum, & quod nomen Christi  
Dijij sti prædicta

## SVM MARIA

fi prædicabitur coram Regib. & Gentib. & filijs  
Isracl. Afferte inquit Domino uos potentes, id est,  
uos Reges, principes, sapientes, diuites mundi,  
uos Pharisei, et Rabini, agnoscite uestram sapien-  
tiam, iusticiam, eximias uirtutes uestras politicas,  
opera legis, & omne quod excelsum est coram  
homini bus, abominationem esse coram Deo, agite  
pœnitentiam, & obedite Euangelio, ut sub unico  
illo Rege & Domino CHRISTO, in Ecclesia &  
regno eius, Deum, & hunc filium Dei, Christum  
per fidem, & sapientiam Dei cognoscatis. Deus  
enim, manifesto opere maiestatis, ab initio in to-  
tum orbem immisit diluuium, & perdidit omnem  
earnem. Is per Euangeliū & Baptismū nouo  
& spirituali diluuiio submerget & mortificabit,  
omnē earnē, id est, ueru statem carnalis Adam, ut  
& secundū adam mortificati, quotquot in Christū  
baptisanur, Una cum ipso etiam, resuscitemur,  
& simus noui homines, noue creature. Sylvas,  
desertū Cades, condensa, Ceruas, uocat, figurare,  
Regna, Prouincias, et potētes urbes, in mūdo &c.  
H.ec condensa dominus reuelauit, & ad Euāgeliū  
lucē perduxit. Pertinet ad tertium preceptū, &  
secundans petitionem orationis Dominicæ.

## PSALMVS XXX.

Hic Psal-

## PSALMORVM.

**H**ic Psalmus insignis est, et uere Davidicus. Miro ardore cordis, agit gratias Deo, et nunc exultat, quod ipsum, ex temptationibus illis spiritualeb. Et ineffabili lucta contra Satanam liberari. quod cor ipsius adeo debilitatum, tot spectris tristitia, ac terroris fractum, atque ipsa magnitudine temptationis, pene oppressum recrearit. Animam inquit, meam extraxisti ex inferno, idest, Impetu Satane, et furorem, quem nulle humanae vires vincere possunt, dedisti mihi uincere.

Continet autem hic Psalmus ut uides, affectus illos sublimes, gaudetis in spiritu sancto, quod Deus, tantam tristitiam, tantos terrores et pauores, his mortis angustias, tot lachrymas, et gemitus, de profundo inferni suspirantis, tandem in gaudium, uerterit, quod ignitis diaboli telis, misere ex ardescen tem in medio aestu, recrearit et sanarit. Insignem autem simul continet consolationem, ad momentum, inquit, durabit ira eius, et uita in uoluntate eius, idest, Deus et si temptationib. grauissimis et eiusmodi duris agonib. exercet pios, tamen, non tentat ut perdat, neque affigit ut damnet, Neque est Deus tristitia, mortis aut paucoris, Sed Deus pacis, ultae, Deus aeternae letitiae et consolationis. Pertinet ad tertium preceptum, et primam petitionem orationis Dominicae.

Psalmus.

## SUMMARIA

### PSALMVS XXXI.

**E**st gratiarum actio, continens etiam, prece-  
tiones & consolationes. Tum recte intelli-  
ges grauiissimos affectus, & res huius Psalmi, si  
scias hanc esse generalem, & perpetuum uocem  
ipsius Christi, & membrorum eius, sub cruce, &  
afflictionib. uarijs suspirantis, & ingeniiscentis,  
Nam Ecclesia est congregatio, afflictorum, pau-  
perum & tentatorum, dum interim homines im-  
pij in mundo, diuites, contemptores omnis reli-  
gionis, & aegroti Epicurei, habet, ut Christus in-  
quit, consolationem suam.

Pij uero, spirituales, & credentes, expositi  
horribili odio, & inuidiae diaboli per omnem uis-  
tam, intus in corde paucorib. & terrorib. foris au-  
tem, persecutionib. blasphemia, & contemptu prop-  
ter uerbum Dei, exercentur et tamen, ex his om-  
nibus liberantur. Nam ut Paulus inquit, ubi abun-  
dant afflictiones, ibi etiam abundant, consolacio-  
nes. Pertinet hic Psalmus ad secundum & ter-  
tium præceptum, & ad primam & tertiam peti-  
tionem orationis Dominicæ.

Et hic desinam, sic Pædagogi more, ostendere,  
ad quod præceptum Decalogi quilibet Psalmus  
spectet

## PSALMORVM.

speciet, & ad quod membrum orationis Dominicæ.  
Nam ex superiorib. nunc satis exempli habent  
lectores cordati, ut per se se id possint obseruare.  
Nam precatorijs Psalmi pertinent, ad secundum  
præceptum, et primam petitionem orationis Doe-  
minice. Nam sanctificant & honorant nomē Dei.

Psalmei, qui docent, consolantur & gratias  
agunt, pro liberatione, pertinent ad tertium præ-  
ceptum, & secundam, & primā, & tertiam pe-  
titionem orationis Dominicæ, Nam uere docent  
Sabbatū sanctificare, colere Deum uero, & sum-  
mo cultu, & gratissimo sacrificio, nempe sacri-  
ficio laudis, & pleriq; psalmi spectant, ad omnia  
illa tria præcepta Decalogi, & petitiones oratio-  
nis Dominicæ.

Ego autem ideo hoc in breuib. his psalmorum  
summarijs submonui, ut ostendam ex Decalogo,  
tanq; fonte, fluere totam scripturam, & in de-  
cem illis præceptis & Dominicæ oratione sum-  
mam plane totius, & summæ Theologie conti-  
neri, nec quicq; posse, in Ecclesia doceri excellen-  
tius aut sublimius.

Videmus. n. quomodo Prophetæ summi, adeoq;  
Moses ipse, ex primo præcepto, ex secundo et ter-  
tio, breuiter ex Decalogo tā egregias conciones,  
texuerunt, q; diligenter omnia ibi expenderunt,

D V qno=

## SUMMARIA

quomodo hic, κοινα καινωτ semper trahiderunt, sicut & Moses summus vir præcipit  
Hæc uerba inquit, stans, sedens, meditaberis, hæc,  
acues filijs tuis &c. In omnibus ergo dictis &  
scriptis suis Prophetæ & Apostoli, alludunt, &  
spectant ad Decalogum. Et ex his Dei decem præceptis fluit omnis doctrina, & pia uita sanctorū,  
neq; est ulla sanctitas aut pietas aut religio extra  
Decalogum, qui est, ille perennis, et inexhaustus  
fons, omnis sapientiae, iusticie, & perfectionis  
uere sanctorum.

. Neq; est alia querela, Prophetarum & Apostolorum, ut in ipsorum concionib uides, quā, contra pseudoprophetas, hypocritas, & falsos doctores, qui posthabito, imo prorsus contempto, & confutato summo cultu Dei, nempe primi præcepti, quod fidem exigit et timorem, extra decalogum, docere solent somnia humana.

Contra, illos ut in ipso Mose, in Esaia, Hieremia, in Pauli & Petri Epistolis uides, non sine lacrymis uebementissime, conqueruntur, contra illos tragicē exclamant, & totis virib. pugnant Prophetæ & Apostoli, ut cultum illum Dei uerū, & summum, primi præcepti conseruent, hypocrisim, & doctrinas hominum, phanatica somniū, & medio tollant.

psalmus

# PSALMORVM.

## PSALMVS XXXII.

**H**ic Psalmus, est inter omnes præcipue insig-  
nis, quem & in grauissima illa disputatione  
citat Paulus ad Rom. 4. docet quid sit peccatum,  
quomodo consequamur remissionem peccatorū,  
breuiter quomodo coram Deo iustificemur. Nam  
in hac re errant longissime, omnes hypocritæ.  
Ratio.n humana, non assequitur, tam ingentē tā  
infinitum, & humanis uirib. aut operib. meluibi-  
lem reatum esse coram Deo, (peccatum) breuiter  
ignorat, quid sit peccatum, & putat operibus  
posse deleri aut tolli.

Hic autem clare dicit, Pro hoc orabit omnis  
sanctus, & neminem iustificari, aut sanctificari  
coram Deo, nisi agnoscat se peccatorem, & sciat  
se absq; operib. et meritis, mera misericordia Dei,  
& gratuita imputatione consequi remissionem  
peccatorum. In summa nostra iusticia non sita est  
in nobis, aut operib. nostris, sed uocatur suo uero  
titulo REMISSIO PECCATORVM, Item non  
imputari sed tegi, peccatū. Beati, inquit, idest, hi  
deum, accepti sunt coram Deo, hi uere iusti, &  
reconciliati Deo, quorum remisſe sunt iniquita-  
tes, quorum testa sunt peccata.

Hic

## SUMMARIA

Hic claris uerbis dicit omnes sanctos, esse ex manere peccatores, In hunc modum autem, & non aliter iustificantur & sanctificantur, quia Deus, ex gratia, propter Christum eiusmodi peccata, non uult imputare nec iudicare, sed misericorditer remittere, tegere, & obliuisci, et licet alias multum interficit inter sanctos & impios, tamen in hac parte nullum est inter eos discriminem, ex quo sunt peccatores, & peccant quotidie.

Sanctorum autem peccata, non imputantur, sed teguntur & remittuntur, propter fidem in promissionem gratiae. Impiorum autem peccata imputantur, & exposita sunt uultui, et iudicio horrendo Dei. Horum, vulnera, non sunt alligata, & illorum sunt alligata, emplastris curata & oleo. Vtriq; tamen uere sunt sauci, & uere peccatores, de qua re loco suo, in alijs libris nostris copiosius diximus.

## PSALMVS XXXIII.

**H**ic Psalmus est insignis gratiarum affectio, ubi iubet Prophetas, in genere letari omnes piatos, & sanctos, & gratias agere, q; tam mirabiliter seruat Ecclesiam, in medio mundo, in medio regno diaboli, tot malis & periculis expostam,

## PSALMORVM.

sitam, q̄ in q̄ Deus, suos sanctos & pios tot tentationum fluctib. iactatos non deserit, neq; patitur eos quāvis periculoſe luctantes, opprimi aut submergi.

Cœlum, inquit, & hanc totam uniuersitatem rerum, DEVIS, uerbo creauit, Ipse dixit & facta sunt. Omnipotens ergo, est, neq; ei quicquā est difficile, quare, e media morte, e medio inferno potest suos liberare. Deinde summa & infinita est Bonitas, & ueritas. Ipse respicit, & exaudit afflitos, præsens est illis, in hora temptationum, & ut alibi dicit Psalmus, prope adest Dominus contreditus corde.

Non solum ergo uult iuuare, et succidere pijs, sed & succurrere, ut pater filij, sicut in primo præcepto, inclusa est illa eximia promissio EGO DEVS tuus. i. uolo Deus tuus esse, id est, Ero tua uita, salus, scutum, protectio, eternum robur, eterna salus & consolatio, eternum & infinitum bonum, aduersus omnia mala. Hoc enim est, esse, DEVUM. In primis, multis uerbis predicat, hanc incomparabilem DEI sapientiam & potentiam, q̄ Deus, omnium, hominum, Regum, Principum & potentatū, in toto mundo, corda & cogitationes habet in manu, easq; refingit & mutat, omnesq; ipsorum deliberationes & consilia gubernat

## SUMMARIA

bernat, eaq; in uniuersum secundum suam uoluntatem, non ipsorum dirigit.

Dominus, inquit, dissipat consilia gentium, id est, Consilia sapientum, Regum & potentum in mundo, ipse mirabiliter interturbat, & eludit, & conatus omnes, hostiles contra populum Dei, contra Ecclesiam etiam cum uidentur, ad extremum deducta omnia, repente, frangit, & uertit in hostes ipsos, ut non possint perficere, quod moluntur contra pios, sed pudenctant, & cadant ipsis insoueam quam fecerunt.

Atq; hec non est minima consolatio p̄is, contra, acerbitudinem illam, & satanicam crudelitatem, qua Tyranni, in mundo, & hostes uerbi, qui tragicis uerbis, minitantur se omnia impleturos sanguine, nisi abnegetur Christi ueritas, & Evangelium, qui adeo nullum finem faciunt minarum, quasi Deum ipsum pertere facere, aut e solio maiestatis Christi decutere possint. Cum, tamen, cogitatus omnes, adeoq; halitum ipsorum & uitam, Deus habeat in potestate, Sed eiusmodi, ante diuidium efficiant cepti, subito cuertuntur.

Expende exempla, inde ab initio mundi ubi Sodomitarum consilia contra Lot? Vbi magnus monarcha, & terror orbis Scythianerib; Vbi nostris temporibus LEO. X. Papa, multi acerbissimi hostes uerbi.

Psal

## PSALMORVM.

### PSALMVS XXXIVI.

**E**t insignis gratiarum actio, pene eiusdem argumenti cum proximo Psalmo, sicut autem titulus & sextus uersus indicat, seipsum proponit, hypotyposin omnib. pijs, q̄ Deus orationem & invocationē credentium, & piorum exaudit, & suspiria afflictorum non contemnit. Magnifico suem oxordio premisso, promittit, se summam totius pietatis ostensurū. **Q**uis est homo, inquit, qui uult uitam, diligit dies uidere bonos &c. Prohibe linguā tuam a malo &c. ibi, exigit ante omnia timorem Dei, & cultum primi praecepti, ut adherentes constanter uerbo, uitemus hypocrisim, & mendaces doctrinas, utq; uere fidentes Deo feramus illius uoluntatem, non fremamus nec murmuramus contra illum Deinde ut in pace uiuamus cum proximo, non reddentes malum, pro malo, sed benedicentes, etiā hostib. & inimicis, quantum omnino fieri potest cum omnibus hominibus pacem habentes, sine boni sint, siue mali.

Sic enim stat consilium Dei, quod mutari nequit, Sanctos in hac uita, debere affligi. Quare si uis esse pius, si uis adherere Deo, prepara animā tuam (ut ille ait) ad temptationem, crucem & afflictionem

## SUMMARIA

tionem, Nam ita statutum est immutabiliter, ut  
alibi dicit, Multæ sunt tribulationes iustorum.  
Rursus autem stat, consilium Dei, firmum et æter-  
num, q[uod] Deus ex his omnibus uult sanctos cripere.  
adeo fideliter, ut ne minimum quidem ex ossibus  
ipsorum periturum sit, quin in resurrectione,  
glorificatione, longe perfectius redibit ad corpo-  
ra, Christus in Euangelio dicit, Capilli capitis  
uestri oxanes numerati sunt.

Quid ergo hoc leue & momentancum, tribu-  
lationis est, præ æterno gloriae pondere quod reue-  
labitur in nobis? Nam etiam si ossa & membra  
sanctorum, præ omnium aliorum corporibus, in  
mundo discerpantur crudeliter, et confringantur,  
igne crementur, in sepulchris etiam putrefiant,  
atq[ue] ita seminetur in ignominia, resurgent tamen  
in gloria. Integris corporib. & omnib. membris  
reuiuiscent, omnia ossa restituentur, et fulgebunt,  
iusti sicut sol in regno patris sui. Furor enim ille  
immanis & infinitus diaboli, non sic conterere  
poterit ossa sanctorum, aut extinguere Ecclesiā,  
ut funditus deleatur, sed temporaria erit illa  
mors, & crudelis ossium contritio, Vita, autem  
& glorificatio sanctorum in Deo erit æterna.

Et obserua insigne locū, quē habet hic Psalmus  
de resurrectione, & iterum insigne de Angelis.  
Nam

## PSALMORVM.

Nam hic primus est inter psalmos, quos hactenus tractauimus, qui de Angelis loquitur, q. sint ministri, & defensores sanctorum, missi in ministerium eorum, qui haereditatem accepturi sunt salutis. Ostendit autem, q. non solum, adsint nobis, sed sed etiam uigilantissime & indesinenter excubabant, & militant, ad tutandos nos, prope, & circum nos castra metantur, pugnates perpetuo, quasi in acie pro nobis, ut defendant contra horribilem impetum, & infinitas insidias diaboli, ac membrorum eius. Quae omnino maxima consolatio est pijs & credentib.

Sicut, etiam, exemplū Prophetæ Heliæ, hunc versum confirmat. 4. Reg. 5. Cum de Angelis Heliæ, ad ministrum dicit, Noli timere, plures sunt nobiscum, q. cum illis. Alludit autem more Prophetarum, qui quasi ex fonte omnia ex Mose haberunt, ad. 32. cap. Genesis, Vbi Patriarchæ Iacob, metuenti a seuicia fratris Esau, obuiam uenerunt Angeli Dei, quos cū uidisset ait, CASTRA DEI sunt hæc, deducebant enim ipsum Angeli, et castra metabantur circū ipsum, sicut hic Psalmus dicit.

## PSALMVS XXXV

**E**st precatio, ubi Dauid conqueritur, aduersus, pessimum illud genus hominum, qui in  
E aulis

## SUMMARIA

aulis passim, Regib. et Principib. adulantur et priuati cōmodi causa, seruiunt ipsorum auribus, traducūt odiose innocentes, et exacerbāt potētes aduersus prædicatores et professores uerbi Dei, student opprimere ueritatem, et horribilia damna dant, in reb. publicis et Ecclesijs. Sic Dauidem apud Regem Saul traducebant hi, de quib. ipse omnium maxime erat bene meritus, pro quibus ipse ardentiſſime ſepe orabat, propter quos ſeruādos ipſe, ſepe tristabatur et lugebat, ut hic dicit.

Huius Psalmi exemplum, potest nobis esse consolationi, quando uidemus, doctrinam ueritatis, Euangeliū Dei, Apud Reges et principes, odioſe traduci, impudentiſſimis mendacijs virulentiſſ. sermonib. hostium ueræ pietatis, imo omnis honesti, et humanitatis. Sicut, sub comitia Augustana, Anno. XXX. narrauit mihi uir qui-  
dam insigni pietate, quorundam impudenti, et malicioſa delatione in aula Cesaris, de Lutherō, nullos alios esse ſparsos sermones, q̄ negaret  
DEVM, CHRISTVM, MARIAM uirginē contē-  
neret Baptismum, Sacramenta, conſueret to-  
tam religionem permetteret autem, impune fur-  
ta, adulteria et cetera flagicia. Huius manifeſtē  
mendacijs architecti palam pudeſacti ſunt, affi-  
dente, et audiente confessionem, doctrinæ noſtre,  
ipſo

## PSALMORVM.

ipso CAESARE CAROLO V. & confusus est  
diabolus, pater et sons mendacij. Sic autem  
solent hostiliter traducere pios ipsosq; infamare,  
qui beneficio Euangelij, & ipsi utuntur. Exempla  
sunt in promptu nostro tempore.

Claudi, inquit hypocrite, qui claudicant in  
utranq; partē, qui et Deo seruire uolunt et homi-  
nib. conspirat contra me. Nā hi cū beneficio piorū  
sunt euecti, adepti, opes & honores, conculcant,  
eos pedib. & opprimunt. Tales ingratii homines  
sunt omnes hypocrite, & phanatici spiritus, qui  
non Christo aut Domino seruiunt, sed suo uentri,  
tales sunt, & iam qui nostris beneficijs, utun-  
tur, & tamen hostiliter persequuntur nos.

In summa, sicut accidit ipsi capiti nostro Christo,  
ita res adhuc habet, cum tota Ecclesia & singulis  
pijs. Qui edit panem meum, inquit Christus, con-  
culcat me, idq; conductus. 30, argenteis. Hi sunt  
illi hypocrite, qui uentris studio posthabent om-  
nia, quorum infinita aduersus pios, perpetuo sæ-  
uit, crudelitas, sicut hic conqueritur.

## PSALMVS XXXVI.

**E**st Psalmus, continens doctrinam maxime  
necessariā, quib. notis, deprehendi possint,  
E ij hereti

## SUMMARIA

heretici, falsi doctores, & phanatici spiritus. Sicut  
in fine, miro ardore affectus petit, se aduersus has  
pestes custodiri. Postquam autem initio Psalmi gra-  
phice eos suis depinxit colorib. in medio, erigit  
se, et consolatur omnes pios, ut quāvis Satan, per  
sua organa, fremat aduersus Ecclesiam, fore taz-  
men, ut uerbum Dei maneat, Regnum Dei im-  
motum persistat, aduersus omnem impetum Sa-  
tanæ, aduersus omnium regnorum & mundi po-  
tenciam.

Iusticia tua, inquit, sicut montes & rupes, iu-  
dicia tua sicut abyssi, id est, sicut petras, magnos  
montes, quos Deus fundauit, nulla uis euertere po-  
test, sicut mare & abyssi inexhausta sunt, ita uer-  
bum tuum Domine, STAT, & ueritatem tuam  
nulla humana potencia subruet aut euertet, ut  
maxime omnes portæ inferorum, omnis diabolorū  
& hominum conatus, opponat se uerbo, tamen  
apud te erit fons uitæ, id est, in domo tua ubi tu  
per uerbum habitas, in medio inimicorum, perma-  
nebit, ille fons & scaturigo uitæ, hoc est uerbum  
tuum, quo erigentur, uiuificabuntur conscientiæ.

Graphice autem depingit, hic Propheta, si us-  
q; alibi, illos falsos doctores, Primum ardentissi-  
mo zelo, erumpens indignanter in tales  
initio Psalmi. Certe inquit, si quod genus homi-  
num

## PSALMORVM.

num, malum est, hi uere sunt pessimi. Sunt. n. homines perdite audaces, uirulenti uacui timore & fide erga Deum, contemptores securi Dei & religionis, arrogantes, superbi, praefracti, precipitantes, ad audendum omnia proiecti.

Secundo, Neminem probant nec commendant, q̄ seipso, Omnes alios, acerbissime oderunt, traducunt et infamant, Atq; in hac una re precellunt, ut sese perpetuo, ornent, ebuccinent, alios consputant sibi solis spiritum Dei cultum, & nomen Ecclesiae arrogant.

Tertio, Ipsorum doctrina est, nocentissima, & mendacijs referta. Nam contra doctrinam fidei, & gratie, pugnant & decipiunt homines suo suco & hypocrisi.

Quarto sunt praefracti, nec ferunt monitorem, sed quouis ferro, quouis adamante sunt duriores, & nisi, omnibus illorum dictis, factis, applaudas, mox fremunt, & Satanicae tumultuantur.

Quinto, pergunt, q̄ latissime spargere sua dogmata, & sermo ipsorum, ut Paulus inquit, sicut Cancer serpit, Plerūq; n. tales, præsyncti et bonis ministris, homines sunt mire audaces ad ista sua agenda, aeres, irrequieti, uehementes, feruidi, sic improbe urgentes sua, quasi alia euersuri omnia.

E iiiij Sexto.

## SUMMARIA

*Sexto, Omnes illos hostiliter persequuntur,  
qui non ipsis subscriptibunt, & hec omnia scelera  
patrant miro stupore, & securitate, quasi Deo  
placeant & obsequium prestant, DEO.*

## PSALMVS XXXVII.

*E*st Psalmus consolatorius, qui exhortatur nos ad patientiam in mundo, ne scz irascamur, & fremamus aduersus Deum, quando uidentur, malis bene esse, bonis autem male. Graue enim scandalum est, & mire urit hoc imbeciles, de quo etiam conqueritur Abacuc. t. Sancti. n. quando uident impijs res omnes esse secundas, pijs omnes aduersas, certe aliquid patiuntur humanitus.

Videmus infinitam maliciam, & ingratitudinem in mundo, extreum contemptum religiosis, contemptum literarum, omnis uirtutis et honesti. Eius rei exempla satis clara extant, nostro tempore, in potentib. mundi, nobilib. deinde ciuibus, rusticis, qui omnes quod sibi libet, licere etiā sibi uolunt. Illis impijs contēptorib. Dei & uerbi, oīa sunt secūda, illi opib. abundat florent honorib. Interim pijs esuriunt, algent, contemnuntur, deridentur, confusantur, ad hæc propter uerbū Dei, acerbi

## PSALMORVM.

acerbisima odia sustinent diaboli & mundi, &  
in tot, afflictionib. uix respirantes, perpetiuntur  
sepe carceres & uincula. Ibi non irasci non indig-  
nari, ibi Epicureorū more, non negare deos &c.  
non est, humana, sed spiritu:lis & diuina sapien-  
tia.

Summa ergo huius Psalmi est, (PATERE) disce  
patientiam, superanda omnis fortuna ferendo est,  
Proijce in Dominum curas tuas. Noli fremere,  
noli stomachari, noli imprecari mala impijs, gu-  
bernationem permitte Deo. Ipse est iudex iustus,  
Hanc ergo necessariam, et sapientib. mundi incog-  
nitam doctrinam, tradit hic Psalmus. Et consola-  
tur hic uarie, ac ualde paterne, Spiritus sanctus  
pios, magnificis scz, promissionib. deinde exem-  
pto ipsius Davidis, junior inquit fui etenim senui,  
& non uidi iustum derelictus, Item commination-  
bus aduersus impios. Nam hanc patientiam pre-  
stare, in tanta malicia & peruersitate mundi non  
est nisi spiritualiū. Tota autem ratio humana, &  
omnes sapientes mundi, aliter iudicare non po-  
ssunt, q̄ indignum esse, & iniustum, q̄ malis sit  
bene, bonis male.

## PSALMVS XXXVIII.

E st ardens precatio ad Deum, qua miris ge-  
mitibus conqueritur se sensu peccati, percua-  
E uij sum &

## S V M M A R I A

ssum ex conterritum, ingenti tristitia, aegrum co-  
angustiari, et nihil sentire nec uidere, quā iram  
de cœlo, horrenda fulmina, tela, ac minas Dei bre-  
uiter mortem, infernum &c. Hæc autem tan-  
ta mestitia, non solum omnem succum, omnes ui-  
res, sanguinem & medullas exhaerit, sed & infi-  
nita quadam perturbatione, æstuantem & anhe-  
lantem, pauere facit adeo, ut magnitudo affectus  
colorem, et totam faciem obscuret, et corpus etiā  
afficiat.

Nam uere sentire onus conscientiæ, & peccati  
terrores, dolor super omnes alios terrores, et do-  
lores. Atq; illas tentationes augent pijs illi, qui  
foris, eos hereticos seditiosos, homicidas, procla-  
mare non desinunt. Illi. n. hypocritæ, dum iactant  
contra pios, se esse sanctos & Ecclesiam, & se esse  
populum Dei (Deo interim ut sit, differente auxi-  
lium & consolationem) sepe contristant pios,  
quasi Deus, auersetur ipsos, propter peccatum.

Hic psalmus autem docet constanter expecta-  
re, auxilium & consolationem Dei, & pugnat  
orando, aduersus tales hypocritas, & propheta  
in tā dura lucta huius tentationis erigit, & suspen-  
tat se, promissione diuina, atq; ibi suæ cause,  
quod scz non hominis sed Dei causa sit, contra  
Satanam, ipsam arcem occupat, ibi enim sequitur  
rurus

## PSALMORVM.

rursus consolatio in fide &c. Ita & nos debemus  
orare, & in nulla angustia, aut tentatione cedere  
tristitiae, etiam si sumus peccatores, etiam si horri-  
bilib. illis terrorib. peccati, quatiat nos Satan, Po-  
tentior est enim gratia peccato.

## PSALMVS XXXIX.

**E**st Psalmus consolatorius, continens etiam  
orationem prophetæ, qua petit, os suum fre-  
nari, ne prorum pat in blasphemiam aut murmu-  
rationem, quando uidemus impios in mundo for-  
tunari, superbissime contemnere Deum & uer-  
bū studere augendis opib. &c. Ecōtra pios affigi,  
cum uarijs temptationibus mundi & diaboli intus  
& foris conflictari. Doce me, inquit, Domine  
potius, quod finis aliquis meæ uite futurus est. i.  
doce me magnificere futura, que nondū apparēt.

Custodi me a periculosa illa securitate, impiorū,  
ubi adeo se totos dedunt huic mundo, studentes  
auaricie, ambitioni, quasi perpetuo hic uicturi.  
Nam admodum graue scandalum est, de quo etiā  
conquerūtur Prophetæ, quod impij & mali luxu  
diffluunt, in uino & rosa, nūq̄ non uoluptatibus  
dant operam, & per omnia in securitate uiuunt.  
Pij uero, affliguntur, tentantur, lugent, intus &  
foris.

EV

## SUM MARIA

foris. Sed exitus ostendit pios beatos esse, impios,  
autem in sua caduca felicitate uere miseros.  
Ergo propheta inquit, Quæ ergo expectatio mea  
est? Quasi dicat, per perpetuo ne affligaris submergar  
ne absorbebit ne nos tandem, hec subinde in  
orbem super nos rediens tentatio? Neutiq; inquit,  
DOMINVS ē expectatio mea, id est, in fine tandem.  
Ego inueniam, post tot & tantas mortes uitam,  
placatu DEVMI, remissionem peccatorum, & ne  
in hoc quidem tempore deserar, Impij uero post  
suam illam breuem uitam, inuenient mortem.

## PSALMVS XL.

**E**st prophetia, & uox ipsius Christi, ubi Chri  
stus ipse, dicit se exauditum, in media pas  
sione, in medio agone mortis, clamantem  
& suspirantem. Et est eximium exemplum, &  
consolatio pro tota Ecclesia & omnibus membris  
Christi, DEVUM omnes credentes quoq; similiter  
agonizantes, in horribili lacu, ac tenebris mortis,  
tantū si clament, si inuocet non esse deserturū. Si  
mus propheta David et similes, eiusmodi psalmos  
ediderūt de summis et maximis rebus illius regni  
et populi, Expectatio autem Messiae et Christi  
erat summa res, apud illum populum Dei.

Illiis

## PSALMORVM.

Illiū ergo personā nunc loquentē facit, Clare autem hic dicit, se unum & solum esse, qui legem implet, qui uoluntatem Dei facit, his uerbis excludit omnes alios cultus et opera. In libro inquit, scriptum est, de me. Illa, promissio benedictionis & gratiae, q̄ semen mulieris conteret caput serpentis, q̄ in semine Abrahe benedicentur omnes gentes, de me est &c. ita reiicit & abrogat totam legem, cum omnibus operibus sacrificiis & cultibus, ut pote qua uoluntas Dei non sit impleta.

Reiecta ergo sunt omnia opera, & sacrificia nostra, hic se dicit Christus, esse unum, & solum qui placat Deum, & uoluntatem eius implet. Promittit ita, his uerbis nouum testamentum, ubi non iustitia legis, sed iustitia fidei, in congregazione & cœtu magno, id est, in toto orbe, in omnibus gentibus predicitur. Non predictetur autem iustitia legis, quæ tantum superbos, phariseos & hypocritas facit, qui suam spem, non habent fixam in Deo, aut promissione gracie, sed in suis iusticiis, sanctitate falsa, & legali hypocrisi.

## PSALMVS XLI.

**E**st prophetia, in q̄ iterū more psalmorū Christus ipse loquitur, et miro affectu cōqueritur, de proditione

## SUMMARIA

de proditore suo domeslico Iuda, & crudelibus  
illis canibus sequentibus in pauperem, qui ipsum  
crucifixerunt. Petet ut Deus iudicet causam suā,  
ut coram facie Dei, idest, consolante, & resusci-  
tante Deo patre, dextera Dei exaltatus, per illam  
crucem, & mortem, aeterna uictoria, & uita, glo-  
rificetur. Omnib. pijs autem, hec est admodum  
magna, & ingens consolatio, quod quarto uersu  
filius Dei dicit, Sana animam meam, quia peccavi  
tibi. Peccatorem se fitetur Deo patri, cum tamen  
sine peccato sit, & non sit inuentus dolus in ore  
eius. Nam ibi, stat ut Sacerdos noster, ut uictima &  
hostia pro peccato, portans & luens nostra pec-  
cata, non aliter atq; ipse reus sit.

Initio autem Psalmi hac graui uoce summan-  
rei complectitur. Beati, inquit, qui non auersantur  
egenum & pauperem, idest, Beati, & aeternum  
beati qui Christo infirmo, Crucifixo & damnato,  
non offenduntur, sed Euangelio credunt. Nam ser-  
mo crucis gentib. est stultitia. Iudeis autem scan-  
dalum. Maximi enim & infiniti scandali res est  
coram mundo, praedicare, docere, aut confiteri  
Christum illum, pauperem, crucifixum, damnatum,  
sedere a dextris maiestatis in excelsis, esse Domini-  
num omnium in hoc seculo & futuro, quo totus  
ille Iudaicus populus sic offensus est, sicq; im-  
pegit

## PSALMORVM.

pegit in hanc petram scandali, ut dissipatus &  
disiectus in hunc diem, erret passim & uagetur  
sine sacerdotio & regno.

## PSALMVS XLII.

**E**st oratio ardens ad Deum, subindicans mag-  
nitudinem affectus spiritualis, & inenarra-  
bilem gemitum spiritus, hac autem similitud-  
tine cerui, Initio psalmi describit, quomodo affec-  
tus fuerit in hora temptationis, cum totus in sum-  
ma esset tristitia & lachrymis. In illa enim hora  
tenebrarū Deus ille uitæ pacis, lucis, & consola-  
tionis nō uidetur, sed quasi sol sub nube latet ab-  
scunditus, sentiunt autem corda tunc nihil, quæ  
Deum iratum, seuum ultorem, & Satan tunc  
spectra tristitiae auget in immensum. Ad hec acce-  
dunt blasphemiae, subsannantium afflictos, ubi nunc  
est Deus tuus?

Nam mundus & impij, non possunt se conti-  
nere, cum uidet in calamitatib. sanctos, quin risu,  
& sannis, excipiunt, et exagitent ærumnas sancto-  
rum, quin exclament, triumphabundi. Sperarūt in  
Deo, liberet eos si uult, Vbi nunc ille Deus, ille  
eorum Christus? Talis debet esse inquietus fortuna  
hæreticorum. Iudicant enim secundum cæcam ra-  
tionem,

## SUMMARIA

tionem, & putant afflictionem, certum signum  
esse, iræ diuinæ, erga sanctos.

E ontra suas afflictiones, aut quasuis leues aduer-  
siates, iactant tanquā passiones propter nomen  
DEI, tanq̄ martyria & ærumnas, Apostolica  
innocentia exanclatas. Peruersi, enim uerulenti,  
& cœci illi cœcorum duces, etiam si sciant, scire  
nolunt, q̄ DEVS sanctos suos sic castigat ut rur-  
sus consoletur, non ut perdat deserat, aut  
damnet.

Optat ardentiſſimo affectu ire ad domum Do-  
mini, in cetu canentium, letantium, Sabbatizan-  
tium, & celebrantium nomen Domini, & uide-  
re faciem DOMINI, idest, ardet audire uerbum  
Dei, quo erigatur, et recreetur in tanto æſtu, ten-  
tationis et tristitiae pene extinctus. Domus dei, est  
ubi predicatur uerbum Dei, et promissio gratiæ etc.  
Et faciem Dei, uocat, presentiam Dei, ubi Deus  
per uerbum, SE, suam uoluntatem ac gratiam,  
reuelat & dat cognoscendam, Hoc uocat alibi,  
DEVM, non tergum, sed faciem ad nos uertere.

PSALMVS XLIII.

Est eiusdem

## PSALMORVM.

**E**st eiusdem argumenti cum proximo psalmo, & pene eisdem uerbis utitur, Optat, in lumine, & ueritate Dei ad domum Dei ire, idest, uerbo Dei optaret consolari in sua tristitia, & tentatione.

## PSALMVS XLIII.

**E**st oratio totius populi Dei, & in persona omnium sanctorum, presertim noui testamenti, quos uides hic queri, se, a gentib. prophaniis ab impijs & Tyrannis, crudeliter mastri, & occidi. DEVS enim tradit sanctos in manus impiorum, quasi reiecerit eos, aut ipsorum oblitus fit. Cum tamen, Patriarchas, & illum suum populum, ab initio magnificis operibus & miraculis glorificarit, contra gentes, cum tamen omnes sancti non suam causam agant, sed Dei, non suam gloriam querant, sed diuinam & propter illam ipsam iuslissimam causam, tantum, nullius criminis alias rei, ita exilijs, di-reptionibus bonorum, morte deniq; multentur, & ita tractentur in mundo crudeliter, quasi omnium sint sceleratissimi, & meri paricidae.

In sun. ma

## PSALMORVM.

In summa hic Psalmus est suspiriū & gemitus spiritus, aduersus imbecillitatem carnis, quæ etiā in sanctis, nonnihil remurmurat Deo, q̄ Deus tam sinistre in speciem gubernat mundum, & Iudex est, in speciem iniustus, sinens affligi sanctos, quos debebat erigere, exaltans & euehens impios, quos debebat cuertere.

## P S A L M V S X L V .

**E**st Prophetia, de Euangelio & regno Christi, qua, ualde amenis & iucundis figuris uerborum describit, Sponsum Christum, & Ecclesiam. Depingit enim Christum, prodeuentem regia pompa, omnes regias dotes illi tribuens, formam uere uirilem & regiam, suauitatem gratiosi & iucundi sermonis, apparatum, armorū, splendorem uestitus regij, fœlicitatem in bello aduersus hostes &c. deinde omnes dotes & uirtutes regias. Iustitiam, clementiam &c.

Ad hæc ut iucundissima specie, Regnum Christi, oculos ponat, addit ipsum, quoq; habere domus et pallatia eburnea. Reginā, & puellas pedissequas, filios & filias &c. Hæc omnia sunt intelligenda, de spirituali regno Christi & Ecclesia, ubi Christus est Rex potens, sapiens, iustus, gratus, uictoriosus

## PSALMORVM.

Moriosus, ad huc triumphator, letificans, seruans,  
consolans & ditans suos, aduersus peccatum,  
mortem, legem &c.

Clare autem, prophetat, fore ut uetus testamentum abrogetur, Audi, inquit, filia, & uide inclinare tuam, obliuiscere domum patris tui, (sub-indicat enim Synagogam) & Rex inquit te amat, & adorabis eum. Ostendens extra Christum, nullum esse rerum Deum tribuens illi honorem, uere diuinum, nempe summi, & primi precepti scz adorationem, & clare uocat Eum in sexto et septimo uersu DEVM. Faciens eum sic regem eternum, cuius solium fundatum sit in iusticia, qui iustificet in se credentes, & tollat peccatum, debeat mortem & infernum. AEternum autem Rex, qui non moritur, esse, nemo potest nisi sit natura, DEVS, de quo alias latius.

## PSALMVS XLVI

**E**st gratiarum actio, quam eo tempore canebat populus Israel pro beneficijs, et miraculis illis diuinis, q. Deus Hierusalem in medio gentium, & hostium, positam, potenter defendebat, & custodiebat aduersus omnes Reges, aduersus omnium gentium, uicinarum insidias, & hostiles congre-

F les congre-

## SUMMARIA

les conatus , pacem autem conseruabat, contra omnia cruenta consilia, belli et sanguinis. Et more scripturæ, uocat totum illum præsentem statum florentem, illius regni, fonticulum Dei, cuius scaturigo non siccabitur, riuulum scz exiguum premari illo, & ingentib. flumijs, magnis scz regnis, & Insulis gentium, & regum gentilium, qui quis magni, siccandi erant, & perituri, manente hoc Dei fonticulo.

Nos canimus hunc psalmum in laudem Dei, & DEVS NOBISCVM est, Ein feste burg ist vnser Gott, & suam Ecclesiam, ac suum uerbum potenter, & mirabiliter conseruat, contra phanaticos spiritus, contra portas inferorum, contra infinitum illud odium diaboli, contra impugnationem mundi, carnis, peccati &c. Sic ut noster, fonticulus maneat uiua scaturigo, dum interim, tot hæreses, tot tyranni, et ipsorum doctrinæ, tanq; putidæ, fetidæ sentinæ, & lacunæ, tanq; cisterne dissipatæ, exarescunt, deficiunt, & in eternum uastantur.

## PSALMVS XLVII.

**E**st prophetia de Christo, quomodo sit ascensurus in altum, Rex omnium futurus &c.  
Psallite

## PSALMORVM.

Psallite inquit Regi nostro psallite, indicans hoc regnum Christi, non eiusmodi fore, quod situm sit in uirib. armorum, sed in uerbo laudis & cantico gratiarum actionis, q. d. Hic Rex tantum uerbo Euangeliij, quod est uerbum laudis & gratiarum actionis prosternet omnē uim aduersariā, mundū & Satanam sicut muri Hiericho corruerunt per solum clangorem tubarū, sine gladio, aut armis.

## PSALMVS XLVIII.

**Q**uest gratiarum actio, pene similis psalmo.  
XLVII. Laudat enim DEVM, & magnifica opera illius, qui ciuitatem Hierusalem, contra uicinas gentes, contra reges & Tyrannos defenserit, eamq; obsidione acerbissimorū et potentiss. hostium, sepe ipsis mirabiliter ab actis & pudefactis liberarit e morte et periculis infinitis eripuerit, inuitis, omnib. portis infstri, potenter, conseruata urbe, templo, uerbo & cultu DEI.

Imprimis autem celebrat hanc DEI ueritatē, q D E V S promissionem fideliter impletit, sicut est nomen tuum, ita & gloria & opera tua usq; ad fines terrae, idest, sicut promisisti nobis. Ego ero DEVS uester, sicut ex te credidimus uerbo tuo, ita reipsa, & opere experimur. Ibi stant,

F ij      m̄bs

## S U M M A R I A

urbis, templum, in medio hostium quasi in medio  
flamme, seruata & intacta.

Nos canimus hunc psalmum, q. Deus uelit  
seruare, Ecclesiam & Euangeliū, contra freni-  
tum, & odium regum et principum, qui ut maxi-  
me non desinant ab oppugnatione, et insidijs, tur-  
pissime pudeſſent, confundentur, & Euangeliū  
manebit.

## P S A L M V S X L I X.

**C**est psalmus, erudiens ad fidē, & docens.  
Nos fidere Deo, contra illum magnū Deū  
mundi, qui uocatur Mammon, Premittit autem  
longū et magnificum exordium, ut omnes excitet  
& reddat attentissimos. Obiurgat autē, acriter  
omnes qui confidunt in diuitijs, & opib. seculi  
huius, de quib. & Christus, duro uerbo dicit, Ve  
uobis diuitibus, habetis consolationem uestram.

Radix enim malorum omnium, inquit Pau-  
lus, auaricia est. Sed mundus totus, relicto uero  
Deo, colit illud suum idolum, & furit cupiditate  
habendi. Omnes homines, (exceptis pijs) a mini-  
mo, usq; ad maximum, student pecunie. Hinc pro-  
phete, clamant omnes, auaricie student a minimo  
usq; ad maximum. Hinc sunt proverbia illa, trita,  
& poes

## PSALMORVM.

**O** poemata, apud Gr̄cos & Latinos, pecunia  
obediunt omnia. Item, Querenda pecunia pri-  
mum, uirtus post nummos. Sed tales admiratores  
**O** seruos diuitiarum deridet, & exagitat hic  
psalmus, qui confidunt, in opib. quas morientes  
secum auferre non possunt. Magnifice autem, com-  
mendat ueram fidem, per quam Deo confidimus,  
quae morte potest eripere, et dare uitam, & salu-  
tem aeternam, & tunc saluare ac liberare, cum  
non solum aurum, sed & omnes creature, nos  
destituant.

## PSALMVS L.

**H**ic psalmus docet, contra hypocritas, &  
omnes cultus hypocritarum, quis sit uerus  
cultus, quid uera sacrificia coram DEO. Ipsi enim  
sua opera, sua merita & sacrificia tam magni  
estimant, quasi Deus, debeat agnoscere ipsorum  
beneficium & istis sacrificijs, indigeat. Cum econ-  
tra spiritus clamet per prophetas, summum  
cultū Dei, id est, primi præcepti, in hoc sitū esse, ut  
ipsum colamus et adoremus, & agnoscamus om-  
nia ex manu eius nos accipere, omnē gloriam, illi  
deberi. Et nota diserte hic exprimi, claris uerbis,  
summum cultum Dei, gratissimum sacrificium,

Filiū breuiter

## SUMMARIA

breuiter ueram uiam, et iter ad Deum esse, ut in-  
uoces ipsum in die tribulationis, & illi pro bene-  
ficijs infinitis gratias agas, ut ultimus uersus hic  
canit. Hoc est enim uere soluere et reddere uota  
Deo, ut in decimo quarto uersu dicit, non quidem  
uota illa stulta monastica, uel similia, sed uotum  
illud summum, quod exigit Decalogus & primū  
praeceptum, ubi dicit, hodie uouistis D O M I N O  
D E O uostro, ille erit uobis D E U S, id est, uos estis  
factus populus D E I, ut habeatis eum pro Deo,  
uere credatis illi, inuocetis eum, adhereatis huic  
uni, De hoc illi hypocrite, & stulti sancti nihil  
prorsus sciunt.

## PSALMVS LI.

**Q**uod inter omnes psalmos, aureus & insig-  
nis, continens experientias et affectus ues-  
tre Davidicos, et docet, quid sit peccatum, que  
origo peccati, q̄ ingens et horribile damnum lap-  
sus Ade, dein quod hic excellentissimum est, quomo-  
do consequamur remissionem peccatorum. Nam  
hoc psalmo clare exprimitur, peccatum esse mag-  
num & cognatum, morbum, & immanem cor-  
ruptionem in natura, in summis uirib. corporis et  
animi. Nisi

## PSALMORVM

Nisi autem renascamur denuo per fidem in Christum, & renouemur spiritu Dei in nouam creaturam, tunc tanta amissio DEI, omnisq; uitæ ac salutis est in peccato, tanta uis, tantus aculeus mortis ut ineffabili tristitia ac terrore, qualitat conscientias, ipsas medullas exauriat, intima ossa conterat & confringat, sicut hic dicit. Et exultabunt ossa, que contriuisti, donec uerbum gratiae & spiritus rursus nos erigat, & recreet.

In cordibus autem purificatis fide, & renouatis spiritu, noua lux est, noui motus & affectus spirituales, certitudo conscientie, uera πλυροφορια, fruor & alacritas spiritus, gaudium, pax, erga Deum, gratiarum actio, longanimitas patientia. Soli ergo pijs, & sic denuo renati, certi sunt de uoluntate Dei, recte docere & erudire possunt ad pietatem alios. Docebo iniquos, inquit, uias tuas, deinde iuuocare, laudare nomen Dei, gratias agere, breuiter Deum uere colere & adorare, patienter ferre crucem & afflictiones, breuiter magnifice sacrificare sicut hic uocat summum & excellentissimum cultum Dei, et summum sacrificium, cor contritum, & afflictum, & reiicit claris uerbis omnia sacrificia, que extra illud sacrificium, ab hypocritis fiunt, et pro magno cultu Dei habentur.

F*iiiij* In fine

## SUMMARIA

In fine petit ut Deus uelit edificare & censer  
uare ciuitatem Hierusalem, idest, locum uerbi &  
ueri cultus Dei. Eundem in modum, & nos orare  
debemus. Bene fac DOMINE Zion, idest, o Do-  
mine, tu uides hypocritas, tu Domine conserua  
ueram Ecclesiam, & in ea uerū cultum Dei, pri-  
misi & precepti, confunde eos qui iactantes bona ope-  
ra & sacrificia sua negligunt fidē erga Deū, con-  
culcant, primum preceptum, Serua autem & con-  
forta eos, qui adorant te in ueritate, & seruiunt  
& sacrificant in spiritu.

## PSALMVS LII.

**E**st psalmus consolatorius, & titulus satis  
indicat, argumentū, conqueritur de Doek,  
qui prodebat Dauidem, & author fuit, multi in-  
noxij sanguinis fundendi i. Reg. xxij. Hic Doek  
typum gerit proditorum illorum, & sanguina-  
riorum, hypocitarum, qui in aulis Regum &  
principum, mendaciter & odiose traducunt, uerbis  
Dei, & ueritatis doctrinā, quorū nunc ubiq; uber  
prouentus est, qui reges & principes irritant, &  
incitant, ad occidendos concionatores synceros,  
quales sunt nostro seculo, qui multos bonos viros  
occidentes propter utrāq; speciem, sacramenti  
propter

## PSALMORVM.

propter coniugium &c. nullum finem faciunt  
sorbendi sanguinis Habel.

Contra illorum immanem crudelitatem, consolatur pios hic psalmus, & promittit, fore ut impune non auferant, Sed maledictiones experiantur de quibus Deu. 25. Fore ut eradicentur e terra, domo funditus deleantur &c. Pios autem, seruados esse, mansuros in domo Domini, & perseverantes, in docendo & audiendo uerbo Dei iauit diabolo, et omnibus impijs.

## PSALMVS LIII.

**O**st prophetia, similis psalmo. XIII. & docet. Eiusdem autem sunt argumenti & habent penes eadem uerba. In summa, obiurgat, hysperitas & iustitiarios operum, qui sanam doctrinam, et doctores persequuntur. Et in fine annuntiant Euangelium, & regnum Christi, quod ex Zion prodibit.

## PSALMVS LIII.

**E**st ardens oratio, contra persecutores uerbis qui piorum & bonorum uite, hostiliter infidiantur propter uerbum Dei, sicut Rex Saul, siue Sipha, Davidis uite infidiabantur, propter

## SUMMARIA

nomen & uerbum Dei, per quod deposito e solio,  
Saule David Rex constitutus erat. Petit, Dei ultio-  
nem, aduersus, tantam fæuitiam, & malitiam.

## PSALMVS LV.

**E**st precatio, & quamvis posset in duodecim  
mo & decimo tertio uersu intelligi, de ipso  
Christo, contra proditorem Iudam, Cum inquit,  
Si inimicus meus male dixisset mihi &c. tamē mi-  
hi probatur, ut sit generalis oratio piorū, aduers-  
sus illam uafriciem, insidiosorum & callidorum  
hominum, aduersus artificia blandiloquentie  
Italica, quorundam, qui oretenus amici sunt, qui  
aliud ore, aliud corde promptū habēt, & summa  
sapientiā ducūt (qua & deus falli possit) simulare  
& dissimulare omnia. Corā norunt et audēt, pol-  
liceri omnia, ut non iniuria eos in hunc modum  
depingat. Molliores sunt leniores sermones  
ipsorum oleo.

At absentum famam denigrant, et ipsorum os,  
nocentius est, q̄ ignita iacula, & sagitte, & ling-  
ua eorum gladius & mucro cruentus. Et hoc est  
quod in duodecimo uersu conqueritur, q̄ uultu,  
fronte, oculis, tam callide fallunt, &, tam satani-  
cam acerbitudinem ac virulentiam, his artibus suis  
uulpinis

## PSALMORVM.

vulpinis tegunt, una capiunt cibum, familiares sunt & noti, (qualis erat Iudas Christo) una celebrant festa, una eunt ad domum Dei. Ideo & horribiliter illos, execrat. Tollantur inquit subito, Descendant, inquit, in infernum uiuentes. Nam, eiusmodi uirulentissimi, siccissimi hypocritæ, mirabiliter & supra quæ dici potest contristant, pia corda. Tale iudicium Dei quod minatur hic psalmus, nostra ætate uidimus, in authoribus seclaru, subito sublatis. Nam, hæc execratio, est prophetia, super omnes, tales hypocritas, cum, pie monentes non audiant, nec resipiscunt, sicut decimus nonus uersus dicit. Ipsi, inquit, non resipiscunt, non mutantur, nec timent Deum, pergunt cursu suo donec repente euertantur.

## PSALMVS LVI.

**E**st precatio, uehemens in qua Dauid queritur, de Saule, & illarum partium hominib. q[uod] cogebatur, fugere e terra, ad philisteos, adeo hostiliter ipsum persequebantur Saul & illius, coniurati & insidiabantur uite ipsius, ut nusquam posset hærere. Eredit autem se constanti & infracta fide. Ego, inquit, glorior de uerbo Dei, habeo pro me, iussum, mandatum, & promissio nem Dei

## S U M M A R I A

nem Dei, qui deposito Saule, me uoluit esse Regem, non timebo.

Quid enim faciet mihi homo? Reclament sanc-  
Saul, et Saulite impugnant me, negent, pernegent  
me esse Regem, Si Deus pro me, quid potest con-  
tra me homo? Nobis hoc orandum aduersus Ty-  
rannos, qui in desinenter uerbum Dei et nos per-  
sequuntur, & nunque esse quietos sinunt. Nos  
autem habemus hanc Davidicam & firmam  
consolationem, quia pro nobis est uerbum Dei, etiam  
si hoc perpetuo nobis impugnat, depravent, per-  
uertant, calumnientur, clamantes nos hereticos,  
sibi solis arrogantes nomen Ecclesie.

## P S A L M U S L V I I .

**Q**u'est precatio, in qua iterum David conques-  
titur de Saule & aulicis illius, propter  
quorum insidias cogebatur fugere, in speluncam,  
& est pene eiusdem argumenti cum proximo.  
Nobis quoque hoc Psalmo utendum est, aduersus  
Tyrannos, aduersus Sicophantas & quosdam po-  
tentes in aulis Regum, & principum, qui prop-  
ter uerbum, & nomen Dei, pios persequuntur, et  
doctrinam nostram, ac omnia nostra in pessimam  
partem rapiunt, & pios odiose traducunt.

Depingit

## PSALMORVM.

Depingit autem eorum crudelitatem, dentes eorum, inquit, letifera tela, & lingua eorum gladius acutus &c. Gratia autem Deo, qui pro sua infinita bonitate suos non deserit, sed cadere facit hostes in foueam quam fecerunt, ut consiliis suis irretiantur, & capiantur.

## PSALMVS LVIII.

**E**st Psalmus consolatorius, aduersus illos inde duratos hereticos, & phanaticos spiritus, qui errores suos pertinaciter defendunt, qui obturantes aures suas, cœci, & quasi attoniti neminem audiunt, sed in suis ceptis, quasi equis incitatus ad cursum, pergunt & perrumpunt. Qui, quasi, deuoraturi piros, horribilia minitari non desinunt, qualis nostro tempore erat Thomas Monetarius. Figurat autem propheta psalmum, elegantib. similitudinibus.

Primo, Sæpe, inquit subita inundatio, tanto irruit, impetu & fragore, quasi euersura & oceupatura omnia, sed tamen preterfluit & repente deficit.

Secundo, Telum, impositum scorpioni, certam minatur mortem, at cum neruus simul, & arsus subito franguntur, in cassum telum fertur.

Tertio

## SUMMARIA

Tertio, Testudo e sua domuncula, exerit cornua,  
quasi immane datura damnum, sed cornua illa  
mollicula sunt, quæ nihil nocent nec nocere po-  
ssunt.

Quarto, Fœtus imperfectus, abortione, ejicēdus,  
ita facit intumescere uterum matris, quasi ibi iu-  
stus partus, & magnū aliquid proditurum sit, at  
anteq̄ editur, perit nec uidet Solē. Quinto Ramū  
genus scz senticeti asperrium uideas echinatū,  
& aculeatum multis recentib. spinis, quasi laces-  
raturum multos, & late nociturum, at anteq̄  
maturescant, s̄epe subito agricola bipenni re-  
secat totum dumum, atq; igni comburens, redi-  
git in cineres. Ita & illi hostes ueritatis & Dei  
magna cogitauit & spirant, sed quasi magnus sine  
uirib. ignis in cassum furunt.

## PSALMVS LIX.

**E**st precatio, & apte potest intelligi in per-  
sona Christi, conquerentis & prophetantis  
de Iudeis, In quos propter abnegatum Christum,  
& reiectum Euangeliū, horrendum iudicium  
Dei exercebitur, non ita tamē, ut tota gens delea-  
tur funditus, sed ut exemplum sint omnibus secu-  
lis futuris, dispergentur ipsi, exules, uagi inter  
gentes

## PSALMORVM.

gentes, & percutientur cæcitate & furore, ut nihil doceant, nec loquantur, q̄ blasphemias contra Christum, sicut uidemus, quod omnes libri & commentarij ipsorum referti sunt conuicijs acerbissimis, aduersus Euangelium & Christum.

Atq; eius impietatis dant graues et indesinentes poenas, ut non aliter atq; famelici canes, circumueant ciuitatem, querentes cibum & tamen non inueniant, id est, in fine mundi, post ætatem Apostolorum deserentur, exules, extorres, passim vagabuntur, & sub alienis durissimis imperijs prementur, carentur de una terra in aliam, incertis sedib. errabunt & anxie querent angulum, ubi recolligant reliquias regni, aut rursus, ducem inueniant, sed frustrabuntur, exilium ipsorum & uastitas usq; ad finem mundi non finierit, manebunt enim canes fame tabescentes, & circumuerent, odorabuntur, & hiabunt instar canum, sed non saturabuntur, peribunt sine duce, sine regno, & detrudentur in infernum.

Secundum historiam autem bene potest intelligi, de Davide, orante contra Saulis heredes, & Saulitas, qui tandem etiam sine regno instar hian-  
tium & cœfurientium canum, errabant passim eieci regno, deserti, posthabiti, donec funditus deplebantur. Nam stirpem Saulis noluit Deus re-  
florescere

SUMMARIA  
florescere, etiam si posteri Saulis, huic rei, uehementer inhibabant.

PSALMVS LX.

**E**st insignis gratiarum actio, Gratias agit David, pro fœlici stature regni, in quo religio, simul & politia, florebant & bene habebat. In his enim duobus recte constitutis, diuina, & humana omnia sita sunt. Ante Dauidem enim tempore Saulis, omnia erant dissipata, & languebat Regn. (sicut priores uersus conqueruntur) Philistæ non mediocriter afflixerant, res Israeliticæ, adeo ut etiam archa, DOMINI contempta esset, & prophana. 1. Paralip. 14.

Et alias sub regno Saulis, iniuria, scelerare, gerebantur omnia, uti fit, quande Deus deserit magistratus, & sinit eos, ire in vijs suis. Exemplum autem Dauidis, tam callidis & uarijs artib. petiti, satis indicat, Saulis aulam, plenam fuisse hominib. Achitophelicis, & eiusmodi pestib. religionis, & Reip. Sed tamen, dedisti, tuis, inquit, DOMINE signum, quod erigerent, & quo certo statuerent, & crederent te esse presentem. Nam, Deus suis, dedit & reliquit, signum quod erigerent, quo certificarentur de gratia

## PSALMORVM.

gratia Dei, arcam scz fæderis, et propiciatoriū, quam & eximijs miraculis liberavit e manu Philistim &c. Ad hanc arcam enim & propiciatoriū promiserat se Deus, exauditum iuocantes, ibi se presentem futurum.

In fine psalmi recenset terras suas, et populum, et principe loco, preconio extollit, uerum cultum Dei, ueram religionem. Deus, inquit, loquitur in sancto suo, de hoc, inquit, letor, idest, Deus presens adest in regno meo per uerbum, quod predicatur, hoc sane exulto. Enumerat ordine terras, Suchot, Sichem, Gilead, Manasse, Ephraim, Iuda, Moab, Edom, Philistim. Et in fine confitetur, illa omnia, politiam scz bonam, & uictoriā contra hostes, contra Edom et Philistim, idest, fœliciter bella gerere, et prostrare fines, non esse sapientiae aut uirium humanarum, sed uana, inquit, salus hominis. Ex Deo autem uirtus et uictoria. Quare autē, non plures populos, aut terras nominatim exprimat, q̄ illos nouē per iustum commentariū tradendum esset, breuitas summarij hoc non fert.

Nos possumus illum psalmum canere, in honore Dei, q̄, Ecclesie Christi pomeria, Deus profert, et numerum quotidie auget Ecclesiarum, et parochiarum in quib. predicatur uerbum, in qua-

## SUMMARIA

bus pie, tractantur sacramenta, uaria sunt dona  
spiritus sancti.

## PSALMVS LXI.

**E**st oratio contra hostes populi Dei, & in primis pro magistratib. & Pro rege, ut Deus augeat illi fidē, prouehat in cognitione nominis et uerbi sui, ut ambulet in fide & timore erga Deū, ut gubernatio eius sit fœlix et diuturna ne religio, & Resp. dissipetur, & laceretur, seditionib. & bellis. Nam & Salomon in prouerbijs dicit, propter peccata populi, Deus mutat reges & regna. Sed ubi sunt multi reges, ibi, ut sunt humanae uicissitudines, qđ hoc unus edificauit, alius destruit, ut prouerbio dicitur, Nouus Rex noua lex. Omnes autē mutationes in Rcbp. periculoſe sunt. Fœlix autem, Resp. quæ semel bene constituta, diu in uno statu conseruatur.

## PSALMVS LXII.

**O**ntinet egregiam doctrinam, amplificat magnifice dignitatē fidei, qđ firmum scz, præsidium, sit, & munitio aduersus omnes uitæ casus

## PSALMORVM.

casus, credere Deo, econtra extenuat fiduciā in homines q̄ nihil sit, inanius, nihil fallacius, q̄ confidere in hominem. DEVS, inquit, est petra mea, robur meum, auxiliū, DEVS spes mea, Salus mea, Robur mecum, gloria, uita & fiducia mea, idest, Deus est firmum presidium, Deus fidelis adiutor, qui non fallit. Ergo uani filij hominum, mendaces filij hominū. i. omnia humana fallunt, incerta sunt & sunt lubrica.

Pleriq; inueniuntur, confidentes in gratia Regum & principum, atq; eo nomine inflantur, insolescunt, eo confidentius opprimunt alios, & presertim si uideant parietem inclinatum, idest, si uideant, hominē inclinata fortuna, cui alias res parum secundæ sunt, aut si uideant non satis munitum opib. aut amicis aduersus iniuriam, illum iam, prorsus euertere student & seruiunt ita affectibus potentum, quorum fauore quasi propitio minime nituntur.

Sed illi non uident, q̄ fallax gratia hominū, q̄ lubricæ & uolubiles uoluntates, breuiter q̄ uana salus hominum nec credunt donec experiantur sicut Cicero, & multi sapientes mundi, conquest, sunt. Cicero, de Octauio, inquit, O me frustra inquit, sapientem habitum &c. O me nunq̄ sapientem, & aliquando id, quod non erat frustra existi-

G ij matum

## S U M M A R I A

matum &c. in Epistola ad Octauium. Ergo summa pietatis est, Confide in Deo, et proximum non lede, ita recte te geres, corā Deo & hominib.

## P S A L M V S L X I I I .

**E**st precatio, continens graues affectus cordis afflicti, et sipientis uerbum Dei, uerbum consolationis. Dauid sic inuocauit Deum, cum a facie Saul fugitiuus, lateret in deserto Iuda, sicut, inquit, ardet te anima mea, ut uideam te in sancto, o q̄ ardet presens adesse in tabernaculo ad propitiatorium, in sancto, audiare uerbum Dei, ibi in coetu uere colentium Deum. Conqueritur grauiter contra Saulitas, qui ita hostiliter insidiantur uite ipsius, ut, nusquam esset tutus, ut abesse cogeretur a loco cultus Dei, a sancto &c. Nibilominus tamen constanter et magno animo erigit se, et iactat se Regem, fretus electione et promissione Dei, qua interim, in illa miserrima fuga, et calamitate se sustentat et consolatur.

Hoc psalmo, uti possunt qui sub Tyrannis, oppressi, fame et siti uerbi Dei, laborant, et interim tamen gloriari possunt, se esse filios et heredes Dei, eo q̄ habent cognitionem Christi, amant uerbum

## PSALMORVM.

bum, Donec deleto impio Saulc, David exaltetur,  
idest, donec Deus pios recreet & consoletur.

## PSALMVS LXIII.

**E**st ardentissima precatio, plena affectibus  
cordis coangustiati, propter infinitam ma-  
litiam diaboli, perfidiam hominum, & in-  
gratitudinem mundi. Clamat autem David ad Deum,  
tantam perfidiam expertus, etiam domesticorum,  
(uti sit in causa religionis) contra proditores, &  
uirulentissimos detractores suos, & uioperas istas,  
qui uirulentis sermonib. & omnib. artificijs per-  
fidiae & malitiae non desinebant, ipsis insidiari.  
Eius farinæ erat ipse filius Absolon, Achitophel, et  
similes. In primis, multi in aula Regis Saul, Doeg  
&c. Constanter autem se consolatur, quod Deo iuste  
indicatae ipsis sibi malum conscient, & uirulentis-  
sime ille ac uioperina lingue, que nec quiescere  
nec desinere possunt, sibiipsis nocebunt, sicut acci-  
dit Absolon, Achitophel, & Doegk.

In hunc modum & nobis orandum est, aduer-  
sus uioperas illas, nostros hostes in aulis Regum  
Episcoporum, & principum, qui Satanicō odio &  
astu, omnibusq; technis malarum artium, nos pe-  
tunt. Sed incident in laqueos quos extendunt (ut

## S V M M A R I A

iam aliquot exemplis, inde a Comitijs Vormati.e,  
Anno. 21. usq; ad Augustana Comitia anni. 30. didi-  
cerunt,) & ipsi sibi malum struerent. Ut homines  
palam agnoscant et uideant opera Dei, et q; Deus  
uisitauerit eos.

## P S A L M V S L X V .

**G**loria in signis gratiarum actio, (eiusmodi n.  
carmina, ex primo precepto prophet.e  
texuerunt) ubi gratia aguntur Deo, q; Deus con-  
seruat in suo populo, cui dedit uerbum, aduersus  
Satanam, hereticos, & omnia aduersa, Verant  
religionem uerum cultum Dei, conseruat pacem  
politican, Custodit Remp.a seditionib. Bellis, &  
tumultibus dissipat consilia belli, cedis et sanguini-  
nis. Nam bellum, nihil est aliud q; procella, et hor-  
ribilis tempestas, que diuina humanaq; omnia  
miserat, ac turbulentia reddit, & ueluti magna uis  
fluctuum maris, furit &c.

Gratias agit Deo, q; Deus conseruat pacem,  
in qua una inclusa inest uniuersa uis boni, q; dat  
pluuias de coelo & tempora fructifera, q; coronat  
annū bonitate sua, idest, q; per circulū anni quasi  
orbē, quendā absoluit benignitatis et beneficentie  
diuīnae. Nam sub tēpus uernū prodeunt flosculi,

mox

## PSALMORVM.

mox deinde nascuntur fraga, cerasa, non multo  
post pruna, poma, bacca, uarij succi & generis,  
ut taceam per petuum uirorem graminum, quoti-  
die nouo rore rediuium, ad hæc infinitam  
uarietatem herbarū, et odorū, deinde sub messem,  
tritico, silagine, hordeo, onnis generis frumento et  
grano implet horrea. Sub autumnum torcularia  
redundant uino, infinita uarietate saporis &  
odoris, & plenis spumat uindemia labris, atq; ita  
totū illum circuiū anni, omnesq; partes eius Deus  
occupat sua effusa, et infinita benignitate. Et sin-  
guli fructus pene singuli orbes & mundi sunt bo-  
nitatis Dei. Sed q̄ rari sunt, uulgo, qui de his tot,  
& tantis beneficijs cogitant, & gratias agant  
Dco.

Iam satis exemplorum extat, quo modo nobi-  
les, potentes, diuites salutari doctrina fidei  
et libertatis Christianæ, deinde & pace quam ha-  
ctenus miraculose dedit deus, abutantur perdite,  
ad suas cupiditates, sicut Sodoma & Gomorra  
fecit. Sed ferent etiam iudicium Sodome & Go-  
morrae. Vides ergo in illo populo, excellentes &  
magnos fuisse homines, qui eiusmodi cantica,  
condiderunt. Hæc enim uere spiritualia & diuina  
sunt poemata, nullum ingentum, nullus poeta tam  
magnus unq̄ fuit, ne Homerus quidem, qui sic de

Ḡ iiiij Deo

## SUMMARIA

Deo, de operib. & creaturis, Dei loqui posset. ut  
psalmi, qui sic mira breuitate res grauissimas &  
maximas complectuntur.

## PSALMVS LXVI.

**C**est generalis gratiarū actio, q. Deus popu-  
lū suū sēpe e media morte, e manib. ini-  
micorum, eripuerit et liberarit, sicut fecit in mari  
rubro. Pleni sunt eximis exemplis, libri iudicium  
& Regum. Non minor autem, liberatio est, quan-  
do adhuc quotidie in Ecclesia, pios liberat, e ten-  
tationib. tum internis tum externis, Nam Satan,  
cuius typum tantum gerit terrenus ille Pharaon,  
horribili cupiditate nocendi inflamatus, quotidie  
persegitur Ecclesiam, & singulos pios subinde  
cinctos undiq; & inclusos libēter teneret, ut nihil  
uiderent, q. mortē, & iratū Deum, e quib. tamen  
suos potenter liberat Dominus.

## PSALMVS LXVII.

**C**est prophetia de regno Christi, quod futurū  
sit regnum spirituale, in quo predicabitur  
gratia & remissio peccatorum non solum in Iu-  
dea, sed in omnes gētes. Celebrent laudent te, ins-  
quit

## PSALMORVM.

quit populi Deus, laudent te populi omnes, quoniam iudicas populos in æquitate &c. idest, per Euangelium regnas in omnib. gentib. iudicas omnes, scz omnem hypocrisin, ut agant gratias pro misericordia letentur, & laudent beneficium Euægeliij. Nam hoc laudis sacrificiū, hec gratiarū actio, est summus cultus Dei, & sacrificium uere gratum Deo, ut sepe diximus. Non dicit, gentes sicut proselyti, circumciduntur, et current Hierosolymam, sed manebunt gentes incircumcisæ, & nihilominus confitebuntur ei, laudabunt & celebrabunt eum, idest, in gentib. Euangelium predicabitur, & exorietur regnum Christi, regnum gratiæ & misericordiæ Dei.

## PSALMVS LXVIII.

**H**ic psalmus in latino obscurissime translatus est, adeo, ut uel unus ille psalmus admovere nos possit, quantū debeamus Deo, hoc seculo nostro pro hac tāta luce, quod dedit studia linguarū bonos libros, et preceptores &c. Sed pro hoc uniuerso ingenti et ineffabili dono, cōuiciante sine fine Satana, audit Deus cum suo dono, Lutheranū uenenū. Lutherana hæresis. Graues penas dabit mundus contempte lucis huius tantæ, portenta

Gy erant

## SUMMARIA

erant uerborum, in hoc psalmo, Rex uirtutum  
dilecti dilecti, & specie domus diuidere spolia, si  
dormiatis inter medios clerros. Niue dealbabun-  
tur in Selmon mons DEI, mons pinguis,  
mons coagulatus. Item, arundinis incre-  
pa feras, congregatio taurorum in uaccis popu-  
lorum &c. Quantum fuit similis obscuritatis in  
Osea, et similibus difficultibus libris? Quid con-  
tulerunt Ecclesiæ, qui iam amentia quadam, odio ac  
cupiditate opprimende lucis Euangelij, non solū  
pietatis studia, sed omnem eruditionem, & uir-  
tutem dannant. Q; facile est, damnare omnia &  
oppedere impudenter uel ipsi omnia illuminanti  
Soli, at imitari labores translationum q; facile  
fit, norunt docti et pijs, Sed pergo in psalmo.

Est insignis prophetia de Christo, propheta  
quodam spiritus feruore excitator, & alacrior,  
quasi exultans in spiritu sancto, ponit ob oculos,  
faciem illam Ecclesiæ, & res futuras noui testa-  
menti, et adeo expressa hypotyposi, omnia ordine  
depingit, quasi non futura predicat, sed corā se-  
gesta recitet. Prædictit resurrectionem, & ascen-  
sionem Christi, reuelationem spiritus sancti de  
celo, missionem Apostolorū, describit totum hoc  
regnū spirituale, regnum inq; gratiae & remissio-  
nis peccatorum, in quo Christus predicabitur.

Deus

## PSALMORVM.

Deus uerus, saluator & liberator a morte, ostendit autem regnum & sacerdotium Iudeorum, abrogandum esse, & nouum ac spirituale regnum erigendum, quod situm erit, non in uiribus huminis non in multis milibus equitum & peditum, sed in ministerio & potentia uerbi, regnum inquit in quo Dominus dabit uerbum Euangelizantib. uirtute multa, in quo graia Christi & remissio peccatorum per Christum, predicabitur non lex Mose. Apostolos uocat, reges & principes exercituū, quia per Euangeliū et ministeriuū uerbi, perpetuo, regnum Diaboli, & PORTAS INFERORVM oppugnant, quid enim sunt contiones, exhortationes Apostolorum? Quae pugnae, et conflictus accerrimi, contra peccatum, mortem, diabolum, infernum, omnem mundi iusticiam, & sapientiam.

Item, uocat eos montes excelsos, pingues, hereditatem Dei. Item ciurus Dei, multorum milium. Item, cœtum Euangelizantium canentium, & tympanis personantium, & Apostoli & ministri uerbi, Læcum Euangeliū, & uerbum gratiae predicantes, perpetuo laudant, canunt, celebrant, immensum beneficium Christi, & misericordiam Dei, atque ita per totum psalmum, fereuens prophetam & exultans in spiritu sancto iucundissimo carmine

## SUMMARIA

carmine, describit regnum Christi. In fine orat,  
q. Deus uelit Ecclesiam reddere florentiorem, &  
huic regno dare benedictionem & felicem suc-  
cessum, Valde apud se excitatus, alacer et feruens  
in spiritu propheta tunc fuit, cum hoc diuinum &  
coeleste carmen, de regno Christi conderet.

## PSALMVS LXIX.

**E**st oratio plena grauissimis illis, & spiritua-  
lib. affectib. in persona Christi, Domini no-  
stri. Initio psalmi, prioribus trib. uersibus uide  
quali ardore & pondere uerborum, describit in-  
gentes terrores illos mortis & inferni, quos Chri-  
stus pro peccatis nostris suscepit & pertulit.  
Salua me, inquit, nunc Domine, uis enim aqua-  
rum praefocat me, demergor in profundum limi,  
nec est iam, ubi heroam ubi insistam, delabor in  
abyssum maris, & tempestas obruit me, quibus  
similitudinib. omnib. ex uerbis, utcunq; adumbrat,  
agonem illum Christi ineffabilem, pro nostris pec-  
catis passi, & sub infinita mole, diuine irae, ge-  
mentis &c.

Fatetur se Christus, in septimo uersu pecca-  
torem, & conqueritur de Iudeis crucifigentibus.  
Dederunt, inquit, in escam meam fel, et in siti mea  
potauer-

## PSALMORVM.

potauerunt me aceto, adeo expresse prophetat de passione Christi, deinde de Iudeis occæcandis, & regno ac sacerdotio ipsorum uastando, sicut & impletum est, ut iam uidemus & manifesta experientia pene palpamus.

In fine, ostendit abrogandam legem, & absq[ue] lege, & circumcisione, instituendum nouum cultum. Laudabo, inquit, noven Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo super uitulum nouellum, cornua producentem & ungulas. His uerbis ostendit, abrogandam legem, & antiquandum esse totum illum splendidum cultum, gloriam circumcisionis, sabbata, et sacrificia, erigendum cultum noui testamenti sacrificium laudis, prædicationem Euangelij, Nam fide in Christum, & obedientia erga Euangeliū uere cognoscitur Deus uereq[ue] colitur, cultu summi & primi precepti, qui est, ut Marci. xij. dicitur, super omnia holocaustata & sacrificia.

## PSALMVS LXX.

**E**st oratio, aduersus persecutores, & hostes Ecclesie, & piorum, Nam eiusmodi organa diaboli non solum consilijs callidis, sed et Caynica acerbitate odiorū, non desinunt insidiari bonis et pijs, & sicut Satan ipse, ita infinita flagrant cupitate &

SUMMARIA  
tate & studio nocendi Ecclesie, & ultra hoc mis-  
serijs ac calamitatib. sanctorum, adhuc insultant.

PSALMVS LXXI.

**G**est oratio generalis, quam meo iuditio in  
persona totius Ecclesie, apte usurpaueris,  
contra omnes hostes & persecutores, qui ab ini-  
tio usq; ad finem unq; fuerunt. Ne derelinquas me  
inquit, tempore senectutis &c. q; q; hoc potissi-  
mum pertinere eo potest, q. Prophetæ, in tam insi-  
nitis temptationib. petit, sibi concedi perseveran-  
tiam, tamen uerba hæc commode aptari possunt  
ad extrema tempora, & ultimam ætatem Eccle-  
sie ante nouissimā diē. Nam et Ecclesia est sua se-  
nectus, & nouissimi temporib. sicut & Christus  
et Apostoli prædixerunt, erunt tēpora periculosa.

Quemadmodum & Daniel prædixit, ueritas  
opprimetur, & uincet ac abundabit iniquitas, id  
quod sub Mahometh & Papa, satis experti sumus  
nostro magno malo. Ideo 15 16 17. uersu predicit  
propheta Dei iustitiam. Os meum, inquit, annun-  
tiabit tuam iustitiam. Docuisti me, inquit, a iuuen-  
tute mea, et usq; nunc pronuntiabo mirabilia tua,  
& usq; in senectam & senium &c. Et nobis po-  
test esse prophetia &c. usui, q. Deus nobis quasi,  
ex inferis

## PSALMORVM.

ex inferis nos reducens, et de abyssis terre, rurus  
sus fecit exoriri lucem uerbi Dei, per quod conso-  
lationem firmam et eternam habent consciencie.  
Et haec nostra tempora, sunt tempora Heliae et  
Henoch, de quib. uulgares sermones, iactati sunt,  
¶ exhortent Antichristum et omnia restituent.

## PSALMVS LXXII.

**E**st admodum insignis Prophetia, de Christo  
et regno eius, in toto terrarum orbe, in om-  
nibus regnis et insulis propagando, quod non erit  
regnum mortis, peccati, irae aut iudicij, sed regnum  
gratiae, iustitiae, pacis, gaudij. Vita tamen, uictoria,  
pax et gloria Ecclesiae, erit abscondita latebit in  
Deo, et sancti in hac uita, perferent acerbissima  
odia mundi, et persecutiones, fundent sanguinem  
suum pro Christo, qui tamen erit preciosus, coram  
Domino, quem tamen Deus requiret.

Et hic psalmus decimoquinto uersu etiam annun-  
tiat, abrogandū ueterem cultu legis Mose, et no-  
num cultum instituendum esse, qui situs erit in  
invocatione et gratiarum actione. Adorabunt, in  
quit, eum, quotidie laudabunt eum. Nam sacri-  
cium laudis et praedicatio Euangeli, est quotidiana-  
num sacrificium, et cultus summus noui testa-  
menti.

## SUMMARIA

menti. Hic non audis, de circumcisione, aut lege  
Mose, quod gentes sint accepturæ, sed reges gen-  
tium, & gentes manebunt, & bunc regem ador-  
abunt. Ergo hic Rex CHRISTVS est natura  
Deus. Nam invocatio est cultus primi & summi  
præcepti, qui non debetur nisi soli Deo, hic enim  
solus eripere potest e morte, et e quanis afflictione

## PSALMVS LXIII.

**E**st psalmus, erudiens nos aduersus illud mag-  
num scandalum, de quo conqueruntur omnes  
prophetæ, nempe q̄ impij in mundo florent, reb-  
utuntur secundis, & crescunt. Pijs uero, algent &  
esuriunt, affliguntur, consputatur, contemnuntur,  
& damnantur. Hos Deus uidetur auersari et ne-  
gligere, illos uero respicere, amplecti & fouere,  
& fucata illa facies falsæ Ecclesiæ omnino magnâ  
speciem, magnam admirationem habet coram  
mundo. Quicquid hypocrite dicunt & faciunt,  
hoc magna fiducia iactant esse sanctum, pium &  
diuinum, econtra piorū uitam & doctrinam esse  
impiam hereticam. Hoc scandalum inde ab initio  
Ecclesiæ mire exercet, & uehementer discruciat  
pios.

Tanq̄ stultus sum, inquit, idest, Ego habeor im-  
pius

## PSALMORVM.

pius hereticus, contemptor Dei. Sed haec tentatio-  
nes, inquit, durant, donec post habitis omnibus coe-  
gitationib[us] scandali, ingredior sanctorium, id est,  
donec audio, aut lego uerbum & video, quid De-  
us loquitur de impijs, & respicio historias & iu-  
dicia Dei inde ab initio mundi. Ibi inuenio, quid  
minetur Deus in primo precepto, quomodo etiam  
inde a Cayn, hoc iudicium implerit, quo omnes  
impij subito euersi sunt. Nam, edificant in lubrico  
& arena &c. pij uero in petra.

## PSALMVS LXXXIII.

**E**st oratio aduersus hostes, qui Hierusalem,  
sanctuarium, omnes Synagogas, & loca Dei  
in terra urbesq[ue] ipsas uastabant, conuiciantes in-  
terim blasphemie contra Deum, quasi populo suo  
auxiliari non posset. Videtur autem, esse prophe-  
tia de futuro & oratio aduersus futuram uasta-  
tionem, que per crudeles hostes Chaldeos & An-  
tiochum Epiphanem facta est.

Nam tantum his duob[us].temporib[us].templum &  
urbs Hierusalem, tam crudeliter, ut hic pingitur  
uastata est. Hoc psalmo nos utimur aduersus Tur-  
cam & Mahometum, & nostrum Antiochum  
Papam, qui Ecclesiam ueram, uerbum Dei quoti-

H die

## S U M M A R I A

die uafstat, Sacra menta & omnia diuina, quotidie  
dissipat, & uenenum diaboli & abominationem,  
ubiq; spargit & erigit.

## P S A L M V S L X X V .

**E**st psalmus consolatorius, aduersus prae fractos, & induratos hypocritas, qui occinati & securi iactant suam cathedram, suum titulum, et contemnunt minas simul & exhortationes, sicut psalmo. xij. dicunt illi arrogates hypocritae, quis nos decebit? quis noster dominus est? q.d. nostra est potentia, & omnis authoritas, qui nobis non obedit anathema esto. Ita iam quoq; securi sunt Episcopi nostri, & iam inde a Comitijs primis Vormatiensib.usq; ad hunc diem surdi sunt, ad omnes clamores & lachrymas bonorum, in hunc modum & surdi sunt, pleriq; principes & Tyranni, & phanatici quoq; spiritus, qui adeo si bi & suis cogitationib. fidunt quasi ne a Deo quidem euerti possint.

Hic psalmus autem monet, ut cognoscamus, Deum esse qui uere iudicaturus est omnem iniquitatem tantum si expectemus. Nam ipse est Dominus, qui facit montes contremiscere, qui ad montem

## PSALMORVM.

montem Synai, terrifica specie apparuit. Ipse sicut primum praeceptum sonat, uisitat certo suo tempore impios, seruat tamen columnas terræ, id est, pios & sanctos, qui mundum ueluti humeris portant, & sustentant, sicut & Paulus uocat Ecclesiam fundamentum, & columnam ueritatis. Sic pius & innocentem Loth seruauit cum Sodoma euerteret. Sic credentes Iudeos & Apostolos seruauit, cum Hierusalem deleret, & totum populum & regnum perderet. Ipse enim nouit suos seruare, quando aliquem populum perdit.

## PSALMVS LXXVI.

**E**st gratiarum actio, eiusdem argumenti sicut psalmus. XLVI. Gratias agit Deo, & uerbum & cultum Dei, in Hierusalem conservat, & magnificis miraculis ac operib. populū suū, aduersus Reges & Tyrannos, cuiusmodi erat Senaherib, tuetur ac defendit. Bellator enim mirus est DOMINVS ille maiestatis, qui corda et animos regum habet in manu, qui pauefacere hostes, & animos ac spiritus eorum uno nutu frangere potest, ut uult.

In hunc modum etiam pugnat, pro Ecclesia contra Tyrannos et hereticos, ut in medio cursu,

Hij furor

## SUMMARIA

furoris & fremitus hostilis, aduersarijs frangat,  
& debilitet animos. Durum autem contra stimu-  
lum recalcitrare, & pugnare contra eum qui  
quod maximū robur in bello est, nempe animos  
eripere potest. Satan ipse, qui horribili cupiditate  
nocendi, & fiducia roboris pios inde sinenter op-  
pugnat, cū repulsus scuto fidei, animo deisicitur,  
protinus resilit & deficit, quanto magis homo  
mortalis? Hic uersus ergo cum inquit, Ipse auferit  
animos & spiritus principum, merito debet nos  
consolari, ut sciamus nos non posse uinci, aut op-  
primi, nisi cum DEVS uult, cum talem habeamus  
belli ducem, in cuius potestate, corda et animi sunt  
hostium, qui sine armis tantum, pauefaciendo, ani-  
mos & hostes prosternit.

## PSALMVS LXXVII.

**H**ie psalmus cōtinet doctrinā insigne seipsum  
ponit pro exēplo, & pro consolatione piorū  
ualet hic psalmus, angustiam enim & mestitiam  
illam ineffabilem cordis, ira Dei & peccato con-  
territi aliquatenus describit. Et dicit in quarto  
uersu se adeo fuisse, his terrorib. & merore hoc  
oppressum, ut nec somnum capere, nec ore  
uerba edere potuerit, Et 7. 8. 9. 10. uersu quasi  
recenset

## PSALMORVM.

recenset illas cogitationes, tristiae, & pauoris,  
cum dieit, Nunquid obliuiscetur misereri Deus?  
Nunquid promissio cessat?

Sed h.ec est ut hic psalmus indicat omnium,  
optima consolatio, ut electis ex animo (si possis  
ullo modo) his cogitationib. tristiae quibus tamen  
frustra discutiaris, respicias uerbum, & opera  
Dei, historias, & opera diuina ab initio. Ibi inue  
nies, sic ab initio fuisse opera Dei, ut miseris, tri  
stibus, desertis, afflictis misericorditer opem tule  
rit, securos, superbos & contemptores, breuiter  
impios uisitarit & euerterit, sicut & filios Israel  
ex Aegypto liberauit.

Ideo dicit, in sancto & abscondito uiae tue.  
Nam, Deus saluat in media morte, cum omnia  
desperata sunt. HAEC DISCE. Et sic hic psal  
mus, ostendit Deum, & vias Dei, idest, quomodo  
ipse in Ecclesia cum sanctis operatur, ne despere  
mus in periculis, & afflictionibus, quando omni  
humana ope destituimur, sed posthabitatis nostris  
cogitationibus, tunc primū fidamus cōstantius,  
& expectemus auxilium Dei.

## PSALMVS LXXVIII.

**C**est psalmus continens doctrinam, in quo  
H iii pro

## S V M M A R I A

prolixa recitatione, per exempla totius populi Isracl, inde ab exitu ex Aegypto usq; ad Dauid, docet nos credere & confidere Deo, ostendens, Q[uod] presens fuerit semper Deus, in medijs periculis in media morte, suis credentibus. Econtra, Q[uod] grauiter & seuere ultus sit, incredulitatem contemnentium uerbum aut recedentium a Deo.

Nam sicut primum preceptum sonat, ita inde ab initio mundi, non solum in illo populo, sed etiā in gentibus iuxta ac Iudeis operatus est Deus, & ita operabitur usq; ad finem mundi, misericordiam scz faciens in his qui diligunt eum. Iudicium Super eos qui oderunt eum, Et licet mundus nihil contemnat securius, Q[uod] uel minas, uel promissiones primi precepti, tamen ipse nihilominus sic operari pergit, et hoc PRIMVM PRECEPTVM omnibus regnis mundi dominatur potenter, prosternit Tyrannos, euertit regna &c. uastat familiias, delet funditus magna nomina, & econtra, diligentes Deum in Ecclesia, in periculis seruat, oppressos erigit, exules & pauperes pascit, incarceratedos liberat, mortuos resuscitat & saluat.

Mundus incredulus induratus, non credit Deo sed tamen opera hæc, de quibus primum preceptum loquitur, in publicis & priuatis rebus, experitur & experietur, in hoc seculo simul & in futuro.

Psal

## PSALMORVM.

### PSALMVS LXXIX.

**E**st oratio ad Deum, contra futuram uastationem, que a Chaldeis & Antiocho Epiphane facta est, eiusdem argumenti cum psalmo. LXXIII ideo eodem explicatur summario. Ita orabat Esaias Cap. LXIII. contra futuram uastationem &c.

### PSALMVS LXXX.

**E**st oratio aduersus acerbissimos, & quotidianos illos uicinos hostes, Philisteos Syros, Moabitas, Edomitas &c. Hierusalem enim in medio gentium uicinarum, quasi in medio hostium erat sita, nobis usui est hic psalmus aduersus hostes, quibus cincti sumus, uicinos malos, aduersus Episcopos, Monachos, Sacerdotes, qui quovis Cayn, quovis Edom oderunt nos acerbius. Hoc psalmo patres usi sunt (ut et tunc etiam erant tempora Ecclesiae) aduersus hereticos.

### PSALMVS LXXXI.

**E**st formula prectionis, & canticum solenne pro illo populo, quod annis in festo tabernaculo

## SUMMARIA

naculorum decantatum, ad monendum populum,  
et retinendum in uero cultu Dei, nempe primi  
præcepti, Ideo inculcat, hic psalmus sicut alias  
prophetæ omnibus contionibus ipsa uerba primi  
præcepti. EGO DEVS tuus, non habebis alios  
Deos, idest, me habebis pro Deo, mihi adherebis,  
mihi confides, nullum alium adorabis nec inuoca-  
bis.

Sed mundus est, ibi totus in malo positus, to-  
tus immundus, et regnum diaboli, non solum quo  
ad hunc populum, sed omnium gentium religio-  
nes et cultus ab initio mundi usq; ad finem,  
Israelitæ erant populus Dei, habebat prophetas,  
Sacerdotes pios, et Leuitas, cultum illum summū  
et uerum Dei in omnibus contionibus perpetuo  
urgentes, et tamen, alio prolabebantur. Os eorū  
debebat esse plenum Deo, et laude Dei, sed plenū  
erat idolatria, idolatricis doctrinis et omni ab-  
ominatione.

Hec est peruersitas mundi, Omnes cultus om-  
nes alias ceremonias, omnia genera religionis,  
et hypocrisis, mundus solet admirari, suspicere,  
celebrare, atq; his cultibus augendis ornandis  
studere, tantū illū cult primi præcepti decalogi,  
cōculcat pedibus, illū diabolus ferre non potest,  
illum extingere quibus modis potest conatur.

Iam

## PSALMORVM.

Iam in Ecclesia & nouo testamento, docet nos  
hic psalmus, q̄ iusticiam fidei, & Christi preferre  
debemus, omnibus operibus, Nam & nostrum os  
debet esse plenū Christo & laude Christi, Sed nos  
etiam sicut Iudei deficimus ad deos alienos,  
nunc has nunc illas traditiones amplectentes, &  
quilibet sequitur cogitationes et idola cordis sui.

## PSALMVS LXXXII.

**E**st psalmus consolatorius contra Tyrannos,  
& impios Reges ac Magistratus, qui pupila-  
los & uiduas opprimunt, illum illustravi iusto  
commentario, qui extat, ideo non opus hic explicare.

## PSALMVS LXXXIII.

**E**st precatio eiusdem argumenti cum psalmo  
lxxx. sicut nomina eadē illarum gentium,  
hostiliter afflignantium Israelem clare indis-  
cant. Idem ergo habet summarium.

## PSALMVS LXXXIII.

**Q**st psalmus consolatorius, qui ardentiſſi-  
mo

## S V M M A R I A

mo & dulcissimo affectu erumpit, in laudem ministerij uerbi. Beati, inquit, qui habitant in domo tua Domine, idest, sicut illi uere beati, sunt, & firma nituntur ac eterna consolacione, qui in domo & tabernaculis tuis habitant, idest, in loco ubi docetur & auditur uerbum tuum, illi enim ut Paulus etiam. i. ad Corinth. .i. ait, Exaggerati sunt omnibus bonis, ditati omni sapientia, omni scientia, omni dono, sic ut nihil eius desit, illi opes habent amplissimas.

Habeant ergo potentes, diuites, sapietes, in mundo consolationes suas, confidant sane, & glorientur in sapientia, in uiribus, & potentia, in opibus, Cor meum, & caro mea exultant in Deo uiuo, idest, tota mente letor, q. per uerbum cognouerim Deum, Q sum in uera Ecclesia, In hoc pusillo grege populi Dei, in hac Ecclesia pauperum afflictorum, inuocantium Deum in ueritate, malo ut cunq; haere, ueluti auicula pullos suos fouens nidulo, Q uersari, in ampliss. palatijs, Regum mundi, malo ad hostium sedere in domo Domini, idest, minime loco esse in populo Dei, contemni & negligi a mundo, Q extra coetum audientium uerbum Dei omnibus opibus & delitijs circumfluere.

Hortatur ergo hic psalmus, ut citius opes, honores, omnes mundi consolationes relinquamus,  
Q ut

## PSALMORVM.

Quod patiamur nos auelli a domo Domini. Nam nec opes nec Regna, liberare nos possunt, et regno diaboli aut mortis, nec vincere, terrores inferni & Iudicij Dei. Verum Dominus per uerbum dat gratiam & uictoram, Ipse Sol est & scutum, hoc est in omnibus tenebris, in omnibus quibusuis afflictionibus uerbum Dei est letissima lux, et firma consolatio, munitio & armatura iniusta, contra horribilem impetum diaboli, et peccati, quem nec sapientia nec opes frangere possunt. Qui uerbum ergo habet omnia habet, qui uerbum Dei non habet nihil habet. O beatos, & eternum beatos, qui sic uerbum magni estimant, sed ubi sunt Contemptorum, derisorum, plena sunt omnia.

## PSALMVS LXXXV.

**C**est oratio, continens affectus cordis timoris Deum, & ardentissimis uerbis deprecatur terrorem ire Dei. Pij enim non ita supine securi sunt, ut contemptores & Epicurei, sed cum incedunt calamitates, ante omnia, redeunt ad percutientem se, & ante omnia student placare Deum. Ira Dei, qua castigabat populum erat, quod subtraxerat aliquadiu uerbum, imminuerat nucrimum recte docentium, uerorum prophetarum, bonorum

## SUMMARIA bonorum sacerdotum & leuitarum.

Adhæc dissipata seditionibus pace, uitia non pauca erant in Rep. & magistratibus accessit quoq; metus belli, & difficultas annonæ, Nam eiusmodi plague, ut plerūq; sese mutuo excipiunt, quando ut primum præceptum minatur iniquitates Deus uisitat. Ideo orat, q; Deus uelit rursus seruare, tum Ecclesiam, tum etiam Remp. rursus dare ministros, qui pure uerbum Dei doceant, per quos ipse loquatur. Miro ergo ardore cordis erupit.

Vtinam, inquit, audiam rursus loquentē Do-  
minum, Vtinam rursus uerbum Dei pure predi-  
cetur, ne uel pīj conuertantur ad stultitiam, idest,  
ne afflictionibus frangātur et impatientia. Sed flo-  
rente religione, politia, uigeat inter homines pax  
& concordia, ueritas iustitia &c. Et fructus ter-  
re agrorum & uinearum, etiā benedicantur. Ut  
iustum, & piam uitam ducentes in hoc sæculo,  
sicut Paulus inquit, expectemus aduentum glo-  
rie magni Dei, sicut Paulus inquit &c.

## PSALMVS LXXXVI.

**C**est precatio, sicut & titulus psalmi habet  
Horatio David. Hic uides orationem esse ex-  
ercitium

## PSALMORVM.

ercitium summum fidei, et cultum summum Dei,  
Nemo ignorat, quibus tragicis calamitatibus Da-  
uid uir ille magnus, uir secundum cor Dei, sit ex-  
ercitus, ut uides in lib. Regum. In suis grauibus  
angustijs & afflictionibus toto cordis ardore in-  
uocat Deum aduersus hostes suos, Saulem, filium  
Absolonem &c. & illa organa diaboli, qui illum  
grauiter affligeant.

Vide hic in sexto uersu, nono, decimo, et unde-  
cimo, uirum hunc spiritualissimum, & summum  
uere magnum magistrum, quem sequaris in oran-  
do. Vide ut defixos oculos habet in primum pre-  
ceptū, Quis est inquit similis tui in dijs Domine?  
quis facit similia operibus tuis? Quoniam magnus  
es tu faciens mirabilia, tu es Deus solus. Quoniam  
tu Domine suavis & bonus, & multæ misericor-  
diæ omnibus inuocantibus te &c.

Vide ut, acuit ut exuscitat fidem suam, hoc  
uerbo Dei, ut apprehendens promissionem, certo  
statuit Deum non solum potentem, magnum &c.  
inuictum, contra omnem impetum diaboli mundi,  
omnes creaturas &c. sed & presentem pijs, mi-  
sericordem, erga inuocantes se, & credentes. Ita  
& nos debemus, apprehenso uerbo promissionis,  
diuine eijcere e cordibus dubitationem, ut  
uere inuocare possimus. In fine petit, Fac meum  
signum

## SUMMARIA

signum, inquit, in bono, Deus aliquādiu sinit, glos-  
riari impios, quasi sint oppressuri pios & san-  
ctos, sed tamen non deserit suos, nam hic in Ec-  
clesia, sāpēc medijs periculis, e media morte eri-  
pit pios, et palam ostendit se presentem esse suis,  
ut cogantur dicere uel hostes, Quoniam manus  
Domini hæc. De tali opere Dei & signo loquitur.

## PSALMVS LXXXVII.

**E**st prophetia de regno Christi, & futura Ec-  
clesia More prophetarum, Hierusalem, &  
Zion illam futuram, quasi in tabula de pictam oce-  
lis subiicit, cuius termini ipsis sint descripti ter-  
minis orbis terrarum, in qua omnium regnorū,  
nationum & linguarū homines nascentur, Aethio-  
pes, Aegyptij, Babylonij, Tyrij, Philistai &c. idq;  
non nativitate corporali, sed per Euangelium.

Excellentia & magnifica, inquit, predicabun-  
tur, dicentur in te O ciuitas Dei, Euangelium. n.  
est excellens & summa doctrina, & uerbū salu-  
tis præ omnib. alijs doctrinis, sicut et Paulus Phil.  
1. uocat, præ doctrina legis τοῦ ΔιαΦερόντος  
Euangelo enim patet cognitio uoluntatis &  
cōsiliij Dei, quomodo uere placetur Deus, quomo-  
do liberemur a peccato, a potestate diaboli, ab  
eterna

## PSALMORVM.

eterna morte &c, quod nec lex nec philosophia prestat. Ultimo uersu autem, egregie tradit, quis sit summus cultus Dei futurus, in nouo testamento, sicut canentium mutuo psallentium, inquit, chorus est in te, idest, Non Moses, non lex docebatur in illa ciuitate, sed per ministerium Euangelii predicabitur letum nuntium Euangelii, gratia & remissio peccatorum, que est per Christum.

## PSALMVS LXXXVIII

**E**st precatio in persona Christi, & omnium sanctorum, Continet autem affectus illos graves, quos alias nemo mortalium uerbis aut cogitationibus assequi potest, meslitiae scz illius & egritudinis ingentis, que est super omnem animi & corporis egritudinem, & pauor super omnem alium pauorem, quando corda sensu irae Dei, & peccati conterrita, differente Deo consolationem sub illam horam tenebrarum, horribiliter quantuntur, & ut Christus ait cibrantur, & Satana maliciose, & callide exaggerante iram, & extenuante gratiam.

Hos inenarrabiles pauores uocat, hic infernum, tenebrosa, umbram mortis. In lacum, inquit, abieciisti me in tenebras, in profundum. Furor, inquit, tuus

## SUMMARIA

tuus opprimit me, & tuis fluctibus urges me.  
Recte autem hos pauores, his uocabulis mortis et  
inferni describit. Ipsa enim uis, ipsum uirus mor-  
tis & inferni, est animi tristitia. Nam dispersis his  
tenebris, radio aliquo consolationis diuinæ, iam  
mors non est mors, sed gaudentes morimur. Ni-  
mirū autē si tales pauores & terrores animi, re-  
dundet in corpus, maciem & pallorem inducant,  
totumq; hominē afficiat. Paulus uocat, colaphum  
Satanæ, & alibi dicit, datus est mihi σκολοφ in  
carne.

Nam, apud quasdam gentes, grandi conto trans-  
fixis corporibus, de fontibus sumitur supplicium,  
sicut gentes, CHRISTVM contumeliose uocant,  
crucifixum, & Iudei suspensum illum. Nam, mun-  
dus pro sua malicia non tantum affigit Christū,  
sed illum etiam in passionibus suis deridet, sicut  
& hic psalmus conqueritur, Elongasti a me, ami-  
cum & proximum, & notos meos &c.

## PSALMVS LXXXIX.

**E**st insignis prophetia de CHRISTO, et reg-  
no eius, & uocat Christi regnum seu Eccles-  
iam, regnum in cœlis, sicut & Christus in Euan-  
gelio uocat regnum cœlorum. Et hoc regnum spi-  
rituale

## PSALMORVM.

rituale Christi, quod quidem est in terris, & tan-  
men cœlestie egregie describit. Eterna, inquit, ex-  
orientur misericordia, & ueritas immota fundabi-  
tur in cœlis.

Apprehendit autem promissionem de Christo  
factam Dauidi, illam miro spiritu explicans de-  
scribit opes illius regni spiritualis. Illius autem  
promissionis firmissimam & eternam certitudi-  
nem urget, atq; ibi, ut in argumento unico ac fir-  
missimo, contra omnē impetum peccati & calum-  
niam diaboli, commoratur, ibi inhabitat, ibi figit  
pedem ut Paulus Rom. 4. Illam ueritatem Dei,  
illam promissionem, dicit esse preparatam, edifi-  
catam, firmam, immotam in cœlis.

Fundatur, inquit, firmissime ueritas tua in  
cœlis, id est, per Euangelium predicatur cœlestis  
iusticia, quæ non est sita in nobis, ulla dignitate  
aut merito nostro, sed est extra nos Christi iusti-  
cia, quæ gratis imputatur credentib. propter Chri-  
stum, & promise opes regni, sunt remissio pecca-  
torum, donatio spiritus &c. quæ non offeruntur  
cum conditione legis, operum nostrorum aut meriti  
nostrí, sed gratis, ut sic salus non contingat, prop-  
ter nostra opera, sed gratis propter Christum, ut  
sic omnis dubitatio, & hesitatio eximatur animis  
& tuto nitantur, sola illa immutabili & immota

## SUMMARIA certitudine diuinæ ueritatis & promissionis.

Regnum corporale Iudeorum, promissum erat huic populo, cum conditione legis, si seruarent legem, si essent obedientes et pijs. Ita omnia regna mundi dantur & distribuuntur sub conditione legis, quod sunt boni Deus seruat regna. Opes autem illæ immensaæ, huius regni spiritualis, remissio peccatorum, donatio spiritus, uictoria mortis diaboli &c. promittuntur & offeruntur sine conditione legis, & plane gratis promittitur remissio peccatorū nihil promeritis & indignis. Hunc thronum ergo iam non meræ maiestatis, non iræ, sed meræ gratiæ, sic non in arena dignitatis nostræ sed in firmissima rupe ueritatis Dei (quæ fallere non potest) fundatum esse, omnino ingens, & maxima consolatio est conscientijs.

Sed postquam descripsit florem regni Christi, uersu. 59. econtra tragicis uerbis deplorat propheta illius regni CHRISTI Ecclesiæ scz, ruinas & uastationem futurum scz ut hoc regnum per Antichristum, sicut & Apostoli prædixerunt, sic turbaretur & laceraretur, quasi Deus prorsus oblitus esset priorum promissionum, in quo quasi contra promissiones, tantum se uiret aduersus hoc regnum.

Sed haec omnia scripta sunt ad consolationem, p[ro]p[ter]eis &

## PSALMORVM.

pijs et maxime nobis, qui iam nouissimis temporib.  
sub Papatu tot abominationes uidemus, ne fran-  
gamur, aut terreamur varietate aut multitudine  
scandalorum, ne desperemus, etiam si aliquādiu  
regnet impietas, etiam si Satan, ita humana diui-  
naq; omnia misceat, quasi nulla prorsus restet  
Christi Ecclesia, nullæ reliquiæ regni Christi in  
terrīs. Nam, si Papam aut Mahometi abomina-  
tionem respicias quæ totum terrarum orbem per-  
uasit, non aliter apparet, quasi nullum uestigium  
restet Ecclesiæ, & tamen ideo non est deleta, aut  
stirpitus euulsa Ecclesia, sed sub utroq; Tyranno  
mansit in terris uera Ecclesia Christi, etiam si  
misere oppressa & contempta sit.

## PSALMVS XC.

**Q**uod psalmus continens doctrinam grauissi-  
mam, in quo Moses docet. Vnde nam sit  
origo mortis, cui uniuersum humanum genus  
obnoxium est, quare tam horribilis pena, inficta  
sit uniuerso generi humano, & dicit propter pec-  
catum. Immanis enim & omnino maior reatus  
est peccatum, q̄ hoc humanæ mentis captiu (nisi  
Deus corda percutiat) intelligi possit, & tamen  
in peccato sub tali ira Dei oēs homines ex Adam  
nascuntur.

Iij Ampli-

## SUMMARIA

Amplificat autem & exaggerat, illam penam peccati & ingentem miseriā, incertitudinem scz & breuitatem uite illius nostrae alias infinitis calamitatibus obnoxiae in duodecimo autem uersu dicit, illam ipsam ineffabilem miseriā mortem ac reliquias calamitates, ut partes, mortis, ad hoc conducere, ut erudiamur ad querendā gratiā, et misericordiā Dei, qui ex his omnibus peccato, scrutute diaboli morte deniq; eripiat. Afflictiones ergo & calamitates omnis generis, adeoq; pena peccati, mors ipsa scz cooperantur pījs & electis in bonum, ut humilientur, ut conterantur mortificantur, & fitiant gratiam.

Doce nos, inquit duodecimo uersu, nobis esse moriendum, ut sapientes euadamus, idest, ut discamus uere cognoscere Deū & uoluntatem eius hoc uocat sapere. Stulti & impij, qui non exercentur afflictionibus, qui non cogitant de morte, & miseria humana, rudes manent & imperiti omnium rerum spiritualium, & occupati sua hypocrisi, nunq; uere cognoscunt Deum, nec openiū serio implorant.

Claudit psalmum egregio epilogō, Ostende nobis Domine, inquit, opus tuum, Opus Dei uocat, liberationem a peccato, a morte, breuiter, hoc totum, quod per semen illud benedictum. Par  
tres ex

## PSALMORVM.

tres expectabant, quod per Christū accepimus.  
Et Deus noster, inquit, sit placatus nobis et bis impe-  
gerens, Opus manuum nostrarum dirige, id est,  
interim q̄ hic uiuimus gubernā nos in tota uita,  
Conserua religionem & politiam, custodi nos ab  
heresibus bellis & seditionibus &c. Et est hic  
psalmus breuis quidem, sed spiritualissima oratio.

## PSALMVS XCI.

**E**st inter omnes psalmos consolatorios, insig-  
nis gemma quædam, Magnifice commendat  
fidem in Deum, illam ostendit esse invictum  
robur, contra omnia mala et omnes portas inferi.  
Mox autem primo uersu, Qui sedet, inquit, sub  
protectione altissimi & sub umbra omnipotentis  
manet. Dicet Domino, fiducia mea præsidium  
arx mea, Deus meus &c. id est, qui Deo confidit,  
& illius protectione nititur, ille, etiam si undiq;  
a diabolo a mundo a peccato uarijs, & infinitis  
tentationibus quassetur, tamen tandem experie-  
tur pios, aduersus hec & omnia mala invictos  
esse et Deum esse altissimum, esse omnipotente, bre-  
uiter maiorem esse eum, qui nobiscum est, q̄is sit,  
qui in mundo est.

In fine continet, quasi accumulatas, otio aut

I iij nouē

## S U M M A R I A

nouem promissiones gratiae, quas ueluti ex fonte,  
eduxit ex primo præcepto, atq; ideo hic psalmus,  
afflictis debet esse commendatus. Primo, Quoniam in  
me sperauit, inquit, liberabo eū, (secundo) protegā  
eū, (tertio) Clamauit ad me exaudiā eū, (quarto)  
Cum ipso sum in tribulatione, (quinto) Eripiam  
eum (sextio) glorificabo eum, (septimo) Longitudi-  
ne dierum replebo eum, (octavo) Ostendam ei  
salutem meam, idest, q; potenter saluare possum,  
Et hic psalmus secundus est, in quo Angeli, uigila-  
les, et custodes nostri predicantr, quod mire con-  
solatorium est, uere pijs qui norunt, quo furore  
Satan, indesinenter oppugnat Ecclesiam & om-  
nes pios.

Quatuor hic psalmus recenset mala & affli-  
tiones, que perferenda, pijs & sanctis. Primum  
est timor nocturnus. Scriptura, afflictiones &  
tentationes, solet uocare tenebras, ac noctē, et cō-  
solationes lucem. Acerbissima ergo illa & horri-  
bilia odia, Caynicum illud studium nocendi, quod  
in cordibus Pharisaicis latet, atroces illas minas,  
hostiles insidias pericula & damna, & reliquos  
terrores, quos Satan semper excitat contra uer-  
bum Dei, nocat hic timorem nocturnum.

Secundum malum, est sagitta uolans in die, &  
sunt manifesti illi clamores, blasphemie, conuicia,  
execrati

## PSALMORVM.

execrationes, quibus hypocrite, & tyranni, palæ  
exagitant & damnant uerbum Dei, et doctrinam  
Christi, cuiusmodi sunt bullæ & uere bullæ Pape-  
les. edicta regum & principū, libelli blasphemii et  
uirulenti sophistarum, scripta phanaticorum ho-  
minum, Anabaptistarum, Campani, Schwengefel-  
dij Schlesij & similium &c.

Tertium, Pestis seu febris serpens in tenebris,  
Sunt doli, Technæ, artificia Romanistica, foedera,  
conspiraciones clancularie, consilia occulta qui-  
bus aduersarij clanculum, consultant inter se in  
suis conciliabilis, que putant se uel ab ipsius Dei  
oculis abscondere posse, quibus inq uituntur  
euertere & delere pios, & omnem doctrinam  
ueræ pietatis.

Quartum, Morbus aut pestilentia uastans in  
meridie, est ipsum opus manifeste persecutionis,  
Vbi tales Caynici sancti, inaudita crudelitate  
& tyrannide fundunt sanguinem Habel, agunt in  
exilium pios, diripiunt bona, & omni genere  
supplicij crudeliter eos mactant, ac uerā Ecclesiā  
horribiliter ustant, & uerbum funditus exting-  
uere conantur.

Hæc est mea sententia, noui Sanctum  
Bernardum hic alia afferre, alijs liberum sit  
afferre si possint meliora, nostram sententiam

I iiii esse

## SUMMARIA

esse simplicem, & ad mentem prophetæ, res ipsa ostendit, uidemus & experimur quotidie, his quatuor afflictionibus propter uerbum, a Sathan, & mundo pios exerceri. Ideo spiritus sanctus hoc psalmo, nostram fidem erigit & confirmat, & tot promissionibus in fine psalmi excitat ac sustentat, qui pijs debet esse commendatissimus.

## PSALMVS XCII.

**Q**uod psalmus consolatorius, qui prioribus sex uersibus plenus est dulcissimis affectibus cordis, gaudentis & exultantis, incomparabili illo thesauro cognitione puri uerbi Dei, & promissionum gratiae &c. Sicut & Paulus exultans in spiritu sancto. ij. ad Corinth. dicit. Gratia Deo super inenarrabili dono eius.

Mox initio psalmi, O quam excellens, quam iucundæ res est, inquit, Domino confiteri, & psallere nomini tuo altissime, id est, quod est nihil iucundius, quam per uerbum uere cognoscere Deum, uera fide, agnoscere illius infinita beneficia, serio alacriter, & totis uisceribus illi gratias agere, pleno corde et ore inde sinenter laudare celebrare illum, illius bonitate exultare sacrificium laudis offerre illi, breuiter colere cum cultu summo primi precepti, quod

## PSALMORVM.

quod ante omnia fidem, & hec alacria exercitia  
fidei requirit.

Q̄d̄ preciosus, inquit, est ille cultus Dei, q̄ gra-  
ta Sabbata & sacrificia hec sunt coram oculis,  
Dei & Angelorum, etiam si interim nos pij dica-  
mur, nō colere Deū Sc. Hæc omnia dirigit aduer-  
sus falsos sanctos et hypocritas, q̄ frigidis cordib.  
et labijs, Deum honorant, et summū cultum, pri-  
mū præcepti conculcant pedibus, interim ostend-  
tant nomen Ecclesiæ, interim coram mundo flo-  
rent, interim opibus precellunt & potentia.

Sed ut maxime sic floreant ad tempus, tamen  
tandem pudefunt & pereunt, sicut nostro tem-  
pore accidit, his qui in Papatu sunt hypocritis  
sacerdotibus & monachis. Pijs autem, etiam si ex-  
erceantur afflictionibus, ut palma florent in do-  
mo Domini, & in æternum florebunt, non ætas,  
non tristitia animi, non afflictiones illæ, ne mors  
quidem ipsa illos debilitare aut delere poterit, sed  
uiuentes, morientes, adeoq; etiā mortui, per uer-  
bum Dei uiuunt et fructificant, ut et Paulus Rom.  
8. dicit, nulla creatura nos potest suppressimere. Sed  
stulti, id est, impij & Epicurei, hoc non curant non  
morantur, sicut & nostro tempore in plerisq;  
atheis hominibus uidemus.

## SUMMARIA

### PSALMVS XCIII.

**E**st prophetia de regno Christi, propagando,  
q̄ late patet orbis terrarum, & in eternum  
stabiliendo. Sed contra illud, intumescent fluctib.  
& attollent se, fluuij illi magni, et maria, id est,  
regna, & gentes in mundo, frement aduersus Do-  
minum ac Christum eius, & sequent ferro & igni  
in pios, sed non uincen. Nam, ut Daniel, inquit,  
hoc regnum alijs contritis stabit in eternum. Sed  
hoc regnum, non aliter constituetur, q̄ per uer-  
bum Euangeliū non erit situm in armis, non in  
pompa aut gloria coram mundo.

Sed ruuisterio uerbi Euangeliū coletur, auge-  
bitur, ornabitur hoc regnum, & hoc sanctum uel  
hec sanctitas uerbum scz, ornabit domum Domini.  
Verus enim & summus cultus Dei, qui in reg-  
no Christi, & domo Domini, loco omnium sacri-  
ciorum & candelabrorum exercetur, est predi-  
catio uerbi, laus & gratiarum actio, pro exhibita  
misericordia. Moses ergo, & netus testamentum  
hoc novo cultu abrogatur.

### PSALMVS XCIVI.

**E**st generalis precatio, sed ardentissima, plena  
affetti

## PSALMORVM.

afflictibus afflitti cordis et dolentis, a Caynicis hy= pocritis sanguinē Habel, tanta crudelitate et ini= quitate fundi et sorberi. Conqueritur autem meo iudicio non de gentibus, sed de hypocritis & do= mesticis hostibus, qui & ipsi, imo soli uolunt esse t' opulus DEI, de Regibus & principibus im= pijs in illo populo, sacerdotibus & prophetis, ad illos acerba apostrophe, conuersus. Intelligite, in= quit, insipientes in populo & stulti aliquando sa= pite, illos stultos uocat, idest, impios & ignaros Dei, contemptores, q̄ populum, stulte & impie docebant & gubernabant.

In genere perstringit omnes, qui ueros pro= phetas, & ipsorum discipulos, occidebant odio Caynico persequebantur, & nihilominus gloria= bantur de Deo & nomine Dei, qui ipsis dedisset potestatem, ipsos tanq̄ magistratus et sacerdotes tueretur & defenderet, nō respiceret autem illos hereticos, qui sceditiose, principib. & magistratib. populi DEI resisterent &c.

Contra illos ita in ardescit propheta zelo ut mimesi quadam, ipsorum uerba et uoces imitetur. Non uidet hec, inquiunt, Dominus, nec curat Deus Iacob. Sic & iam Papistæ secure dicunt, Cu= raret istos hereticos DEVIS? Nos curat Ecclesi= am Catholica, quam nos representamus curabit.

Contra

## SUMMARIA

Contra hos nunc orat et optat, multos assisteret  
ueritati, sed uersu decimo sexto accusat perfidiam  
mundi, Quis stabit mecum, inquit, aduersus ope-  
rantes iniquitatem? q.d. Scio mundus securus est,  
sanguis Habel funditur & nemo curat. Sed hec  
tamen mea firma, & aeterna consolatio est, q. cau-  
sa mea iusta est, imo non mea, sed Dei. Ego tamen  
scio, cui credidi. Ego sum certus, inquit, uersu. 20.  
q. tibi non adharet sedes uel cathedra iniquitatis,  
ide est, Certus sum, q. tu DEVS non probas impiam  
& blasphemam doctrinam, scio q. tu sanguinem,  
& lachrymas Habel, & omnes guttulas reposces  
& requires, & uerbum tuum etiam in media  
morte seruabis & glorificabis, & omnē blasphemā  
& impietatem ulcisceris.

## PSALMVS XCV.

**G**est prophetia de Christo, & hunc psalmum  
Epistola ad Heb. copiose & erudite expli-  
cat, scz q. prophetet de tempore noui testamenti,  
de amabili & iucunda uoce Euangelijs. In summa  
ipse erudit & allicit nos ad cognoscendas diuitias  
gratiae Dei, que & patribus & nobis contige-  
runt in semine promisso, Christo.

Venite, inquit, exultemus DOMINO.  
Venite, inquit, uos qui longe estis & qui pro-  
pe exul-

## PSALMORVM.

pe exultemus Domino, iubilemus DEO tantam salutem offerenti, idest, uenite exultemus tota cordis iubilo, de immenso beneficio gratiae Christi. Cum habeamus tales promissiones, non negligamus hanc tantam salutem. Credere enim promissione gratiae, contra omnia que uel conscientia suggerit, uel Satan terrens corda & conscientiam est uerus cultus Dei.

In fine monet contra incredulitatem. Nolite obdurare, inquit, corda uestra, Sicut in Massa & Meriba indeerto &c. patres uestrri propter incredulitatem non uenerunt in terram promissam. Totum autem psalmum referes ad Christum, hic enim est ille Deus, cui nos exultare debemus, quem uult cognosci. Ille est pastor noster, & nos oves pascue eius, Ille est Deus, quem increduli patres tentauerunt in deserto, sicut & Paulus. t. Corinth. x. dicit. Ille abrogat legem, & totum ueterem cultum, ille amplius non uult Mosaicum cultum, sed fidem in Euangelium predicationem remissionis peccatorum, & unicum sacrificium laudis loco, totius leuitici cultus.

## PSALMVS XCVI.

**E**st prophetia de regno Christi, & Euange-  
lio pro-

## S U M M A R I A

lio propagando, per totum orbem terrarum, co-  
ram omni creatura, quod erit uerbum leticie, gra-  
tiarum actionis, pacis, gaudij, et iuge sacrificium  
laudis, et textus per se satis clarus est. Hic omnib.  
gentibus omnibus regnis, populis, syluis, fluvijs,  
fontibus, arboribus precipitur, ut colant Deum,  
& laudent, celebrent in gaudio nomen eius, q  
populos iudicet, in iustitia & ueritate, idest, eo  
q per semen promissum, per CHRISTVM libe-  
raturus est, & liberat a peccato, potestate dia-  
boli, ira Dei, morte æterna, offert pro regno mor-  
tis & tenebrarum regnum lucis, remissionem pec-  
atorum, uitam æternam omnibus.

Hoc est letissimum illud epinikion, & pro-  
prium canticum, & iucundissimum carmen, noui  
testamenti de regno Christi, & gratie in quo na-  
scuntur, noui homines, nouæ creature, non per  
legem aut opera legis Mose, sed per fidem, sed  
ex Deo, & spiritu Dei per Christum, sic ut singuli  
credentes, sint nouæ creature & miraeulum  
Dei, & quotidie quoq; mirabilia operantur,  
dum uiuunt, subinde denuo contra infini-  
tam vim peccati & diaboli uictores. Sic in tertio  
uersu dicit, Canite in omnibus populis mirabi-  
lia eius.

P S A L<sup>a</sup>

## PSALMORVM.

### PSALMVS XCVII.

**E**st prophetia de Christo & regno eius si-  
c ut proximus psalmus, et summa eius est, q.  
regnum hoc spirituale cōstituit, et stabilit per  
Euangelium, quo simul predicit pōnitentiam &  
fulgura illius et tonitrua terrēt orbem terrarum,  
& coram eo montes quasi cera a facie ignis flu-  
unt, idest, per Euangeliū deprivat humiliat, &  
dannat, omnem humanam sanctitatem, sapien-  
tiam, potentiam in mundo, & quicquid est usq.  
magni, & excelsi sicut Esaiæ.ij.dicit. Exaltabitur  
autem Dominus solus in die illa &c.

Nam, solus CHRISTVS est iustitia, re-  
demptio & sanctificatio nostra, idq; a Deo, &  
non est nomen sub cœlo, in quo sit salus preter  
nomen IESV. Cum ipsis autem hostibus Euan-  
gelij, & montibus mundi, simul intercunt, Rega-  
num Iudeorum, & totus ille cultus legis, &  
quicquid non est CHRISTVS. Ipse enim ut  
Paulus ait ad Colos. in omnibus primatum tenet,  
& unus tantum est mediator Dei & hominum  
CHRISTVS IESVS, sic et apud Danielem,  
Lapis abscissus de monte, implet terram, & re-  
liqua omnia regna conterit &c.

PSAL

## SUMMARIA

### PSALMVS XCIII.

**E**st propheta de Christo, et regno eius latissime in omnes partes orbis terrarum proferendo, eiusdem argumenti cum proximo psalmo, iubet letari nos in Deo, exultare, gratias agere, laudare Deum pro illa salute magna, id est, predicare diuitias gratiae, et remissionis peccatorum, que contingit per Christum. Hic iterum uides expressum summum cultum Dei, noui scilicet testamenti, qui non situs est in offerendis sacrificiis in Hierusalem, sed in cognoscendo Christo illo Rege, qui regit populos in iusticia, qui est ipse iustus et uere iustificans in toto orbe terrarum, qui liberat solus a peccato, morte, potestate diaboli, absque operibus et meritis nostris &c.

### PSALMVS XCIX.

**H**ic Psalmus continet doctrinam, et exhortatur illum populum Dei, ad religiose conservandum cultum primi precepti, ad laudandum scilicet Deum, ad perseverandum in fide, etiam si uincine gentes, aut totus mundus fremat, aduersus populum illum Dei, qui iactat se esse peculium Dei,

nusq;

## PSALMORVM.

nusque DEVUM VERVM et VIVVM, inueniri, nisi in illo terrae angulo, nisi in tabernaculo & propitiatorio, iuxta uerbum & promissum Dei &c.

Ostendit autem populum Dei expositum esse acerbissimis odijs mundi, & diaboli & omnibus afflictionibus. Nominatim autem exprimit Moysen, Aaron, & Samuelem &c. nimirum summos viros in illo populo, qui non mediocres, sed & domesticas, & externas afflictiones propter nosmen & uerbum Dei sustinuerint. Ostendit autem, (ut in tertio & quarto uersu exprimitur,) docens ipsum populum sanctum Dei, summum cultum non situm esse in sacrificijs. Sed confiteantur, inquit, nomini tuo, quoniam terribile & sanctum est. Et in regno huius regis, inquit, iudicium & iusticia diligitur. Et iustificas, inquit, eos, idest, liberas eos a peccato, a morte, donans remissionem peccatorum &c.

Nobis autem iam in Ecclesia, est clara propria de Christo, qui Ecclesiam illam ueram Zion in spiritu, in toto mundo gubernat & regit, & sedens ad dexteram maiestatis in excelsis, inde sine nenter est propitiator et propitiatorium nostrum, propter quem Christum totus mundus aduersus populum DEI & Ecclesiam furit & fremit,

K pios

SUMMARIA  
pios occidit, & omnibus afflictionibus tentat &c.

PSALMVS C.

**E**st prophetia de Christo, & iubet omnes leatari & exultare, gratias agere, iubilare, intrare portas eius in laude atria eius et tabernaculum in hymnis & cantus, cum gaudio &c. Nam per Euangelium, & hoc uerbum remissionis peccatorum, constituitur & stabilitur regnum quod in eternum manet, pro quo semper etiam agenda gratiae.

PSALMVS CI.

**H**ic psalmus continet grauissimam et necessariam doctrinam, & David Rex ille tantus seipsum ponit pro exemplo, principi aut magistrati pio non esse ferendos impios ministros & aulicos, recenset ordine uicia quibus maxime nocet Reip. & Ecclesiae, qui in aulis Regum sunt & potentum, scz si adhærent impietati & false doctrine, si ex odio, bonorum causas corrumptant &c. sed haec uix iusto commentario explicari possent.

Initio, inquit, Misericordiam & iudicium cantabo,

## PSALMORVM.

tabo, id est, Cantabo, q̄ Deus certo sicut primum  
præceptum sonat, miseretur pijs & iudicat im-  
pios. Misericordiae exemplum est ipse Dauid, qui  
e medijs unguibus & faucibus diaboli toties  
ereptus est. Iudicij exemplum Absolon, Achi-  
tophel, Ioab &c. Nam Rex uel magistratus, qui  
uult religionem tueri & Remp. colere, expositus  
est omnium, etiam suorum aulicorum & domesti-  
corum odijs, q̄ Absolon, Achitophel &c. exem-  
plis indicat.

Ideo Dauid toties expertus, quod Deus ue-  
rificat primum præceptum, in omnibus, &  
per omnia, merito sic canit, q̄ Deus, sit Deus  
omnium, exercens misericordiam & iudicium,  
apud quem solum est, ut politia & œconomia,  
fœliciter administretur. Nam ubi ipse non adest,  
ibi sunt dissipata & confusa, ibi nec familia pa-  
trifamilias nec subditi magistratibus parent &c

## PSALMVS CII.

**E**st precatio affliti, & tentati cordis, misere-  
suspirantis, & optantis liberationem & ad-  
uentum regni Dei, & summa huius psalmi est,  
(adueniat regnum tuum) commode usurpari potest  
pro generali oratione, in persona patrum sub lege,  
kij qui

## S U M M A R I A

qui ut spiritualiss. homines erant sentientes molē  
immensam peccati & regnum mortis, optant  
aduentū et reuelationem Christi, regnum gratiæ,  
et promissam benedictionem.

Miserere, inquit, Zion quia tempus miserendi  
eius. Serui enim tui, inquit, optarent instaurari  
eam, lapides & cementū parari, idest, optarent,  
tandem reuelari illam gratiam, illam benedictionem  
in omnibus gentibus, in omnibus regnis pre=   
dicari, ut compediti & captiui, sub potestate dia=   
boli, peccati, filij ire, & mortis liberentur, ut in  
uera Zion Ecclesia sez ex omnibus gentibus et  
regibus confluant, qui celebrent nomen Domini,  
predicent & audiant Euangelium, cesseret autem  
tyrannis & exactio legis, totū uetus testamentū.

Nam extra Christum nihil est q̄ regnū peccati  
& mortis, idest, mortificatio in hac uita, per ua=   
rias duras tentationes diaboli & mundi & ab=   
breuiatio dierum, idest, fluxa & caduea uita, ple=   
na miserijs, plena morte &c. quam cito finiri pijs  
lucrum est, ut Paulus inquit, Mea uita est Christus  
& mori lucrum. Sed in Christo, est consolatio &  
uita æterna, Ipse enim est ante omnem creaturā,  
Ipse creauit coelos, terram, & omnia in ipso con=   
sistunt, ipse etiā in regeneratione, totam renouabit  
creaturam. Ideo est supra & extra omne tempus  
& anno

## PSALMORVM.

**E**t annorum eius non est finis, ipse iam non mori-  
tur, mors illi ultra non dominabitur. Hoc regnum  
uite & salutis, inquit, optaremus hoc regnum  
adueniat, Amen.

## PSALMVS CIII.

**E**st egregius Psalmus, & plenus affectibus  
ardetissimis fidei, et cordis credētis, infinita  
beneficia Dei, spiritualia & corporalia agnoscen-  
tis. Benedic anima mea Domino, & omnia que  
intra me sunt nomini sancto eius &c. idest, ex  
toto corde, ex intimis visceribus totis viribus,  
tota mente exulto, & gratias ago Deo. Agit au-  
tem gratias pro beneficijs Dei, que omnē nume-  
rum & captum humanae mentis superant.

Primum, pro spiritualib. pro liberatione ab  
eterna morte, remissione peccatorum, deinde ex  
corde agit gratias, q. Deus defendit & custodit  
nos contra diabolum, dat, omnis generis bona, pa-  
cem, magistratus bonos, leges, uxorem, liberos,  
sanitatem corporis, ubertatem amnonae, fructus  
terre. Item q. consolatur et erigit nos in tentatio-  
ne, dat letitiam cordis, custodit nos cōtra hostes,  
& erga nos (qui sumus infirmum plasma, plenū  
peccato,) ostendit sc̄ ut benevolentissimum pa-

## SUMMARIA

trem, nec facit nobis secundum peccata nostra, sed secundū misericordāi & gratiā paternā fouet & tractat nos, ut filios, ita tamen si seruemus fœdus & pactum illius, idest, credamus illi, timeamus habeamus eū pro DEO. Nam si in nostris operib. aut iusticijs confidamus, iam uiolamus pactum et fœdus DEI et sequimur alienos deos, et peccamus contra summum & primum præceptum.

Impletio autem legis, & pacti non est nisi per Christum, qui tunc patribus promissus, et nunc in nouiss. diebus exhibitus ac datus est. Cuius regnum omnibus dominabitur &c. In fine autem psalmi, cum iubet Angelos, exercitus Dei &c. potentes uirtutes, laudare et predicare DEVU, ad CHRISTVM, Ecclesiam, & Apostolos alludit, qui faciunt ut audiatur uerbum eius, Omnis enim salus nostra est in Christo, & non est gratia extra Christū, per Angelos, idest, per Apostolos predicatum.

## PSALMVS CIIII.

**C**est spiritualiss. carmen, & psalmus euclasticus, ductus ex primo præcepto, & egregio catalogo omnium creaturarum explicans & amplificans locum creationis. Volens hanc enumerat

## PSALMORVM.

enumeratione creaturarum indicare, q̄ singulæ creature, siue in cœlo, siue in terra aut mari, simili pene mundi et oceanii sint, bonitatis diuinae &c. Quis . n. orator uel poeta, tam eloquens unq̄ fuit aut futurus est, qui uel unius creature, infinita commoda & utilitatem recensere possit. Si uel una harum creaturarum loqui posset, censem linguis celebraret creatorē. Non solū ergo omnia in uniuersum opera diuina, in hac uniuersitate rerum, sed singulæ creature, si commoda et usus uelis expendere, omnem superant eloquentiam.

Quis unq̄ Philosophus aut sapiens dicere aut tradere potuit, q̄ late paterent, commoda eius communis lucis, in qua uiuimus, quis eorum explicare potuit, quid nam hoc esset, quod lucem dicimus, qua omnia spirant, omnia aluntur & uiuunt, qua nox & tenebra breui momento dispelluntur, qua totus ille mundus quotidie quasi de novo creetur, & uisibilis redditur, qua in omnibus creaturis, ex una obscura umbra, unaqueq̄ suum recipit colorem.

Quis uel unius solis, deinde Lunæ commoda recensere poterit? quis ignis? quis aquarum, quis fontium. Si uel una creatura, tantu una hora, igne uel aqua carendum sit, tum uides utilitatem, cuiuslibet

## S V M M A R I A

eiuslibet creaturæ patere in immensum. Verum  
hec quis uix iusto cōmentario utcunq; delibarit,  
Sed tamen cum Ethnici, uniuersas creaturas,  
tam diligenter cōtemplati sint, ut apud Ciceronē.  
ij.lib.de natu. deorū uidere licet, atq; ex hoc aeter-  
num quoddam numen, quo omnia gubernentur  
esse collegerint, turpe fuerit homini pietatē pro-  
fitenti, his rebus uel nihil uel frigide affici.

Hic psalmus ergo est gratiarum actio, pro om-  
nibus creaturis quas Deus creauit, in cœlo, terra,  
mari & omnibus abyssis, & gratias agit, q pac=   
tum cum die & nocte, ut Hieremias.34. uocat, et  
leges cœli & terre, sic certæ sint & non muten-  
tur, sed ordine ferantur. Luna, inquit, distinguit tē-  
pora, Sol nouit occasum suū, nox fit dies fit, acissi-  
tudine sua, uenit æstas, uenit hyems tempore suo.

Illud immensum, inquit, spatiū cœli imples  
luce, extendens cœlum sicut cortinam, non nixam  
columnis nec trabibus, Ingentem molēm nubium,  
ad uerbum tuum ueluti testudinem suspendis.  
Venti sine alis & pennis celerrime peruolant et  
perflant omnia. Angeli quos mittis, ueniunt in-  
star uentorum, & in specie flammæ &c.

Propheta ergo ut uides, pingit in animo suo,  
& ipse excitat fidem suam meditationis, mirabi-  
lis & ineffabilis illius operis creationis. Verum  
quotus=

## PSALMORVM.

quotusquisq; est qui ita res creatas, uel admiratur  
uel inspicit. Hic facere non possum, quin ad obiuram  
gandā quorundam ignauiam iuxta ac impietatē  
ascrībam, Ciceronis uerba, hominis Ethnici, qui  
Aristotelem citat, preclare inquit Aristotleles, si  
essent, inquit, qui sub terra habitaissent, bonis et  
illustrib. domicilijs, que essent ornata signis atq;  
picturis, instructaq; rebus his omnibus, quibus  
abundant hi, qui beati putantur, nec tamen ex-  
issent unq; supra terram, accepissent autem fama  
et auditione, esse quoddam numen et uim deo-  
rum, deinde aliquo tempore patefactis terrae fau-  
cibus, ex illis abditis sedibus euadere in hec  
loca, que nos incolimus, atq; exire potuissent.  
cum repente terram et maria, cœlumq; ui-  
dissent, nubium magnitudinem, uentorumq; uim  
cognouissent, aspexissentq; Solem eiusq; tum mag-  
nitudinem pulchritudinemq;, tum etiam efficien-  
tiam cognouissent, q; is diem efficeret toto cœlo  
luce diffusa, cum autem terras nox opacasset, tum  
tum cœlum cernerent astris distinctum, et orna-  
tum, Lunæq; luminum uarietatem, tum crescentis  
tum senescentis, corumq; ortus et occasus, atq;  
in omni æternitate ratos immutabilesq; cursus,  
que cum uiderent profecto et esse Deum, et hæc  
tanta opera Dei esse arbitrarentur.

Sed

## SUMMARIA

Sed assiduitate quotidiana oculorum assuescūt  
animi, neq; admirantur, neq; requirunt rationes  
earum rerum quas semper uident, perinde quasi  
nouitas nos magis q̄ magnitudo rerum debeat  
ad exquirendas causas excitare. Hactenus Cicer  
ro, Habear sanc̄ in eptus, hæc commemorās modo  
exemplō hominis Ethnici, qui pīj esse uolunt offic  
eij sui meminerint.

## PSALMVS CV.

**E**st insignis gratiarum alio, & canticum,  
prescriptū huic populo, quo gratias agant,  
pro omnibus mirabilibus & operibus, que  
operatus est Deus inde ab Abraham, usq; ad tem  
pus, quo perduci sunt in terram promissam,  
Canaan, sicut & singula ordine recenseret, & con  
cludit cum uerbo illo Mose Deut. XIX. q; Deus  
tam magnifica opera, non propter iusticiam  
aut merita ipsorum fecerit, sed prop  
ter pactum, et promissionem factā  
patrib. Abrahe, Isaac & Ia  
cob. Q; iusti enim fue  
rint, et quid pro  
meriti sint,  
canit  
sequens psalmus.

## PSALMORVM.

### PSALMVS CVI.

**E**st gratiarum actio, qua agnoscit & confisetur, omnia illa peccata, murmurationis, incredulitatis, & alia, contra primum preceptū quibus populus Israel prouocarat Deum, & reddiderat se indignum omnium beneficiorum &c. Ideo in fine psalmi, predicit amplitudinem misericordie diuinæ, qui tamen memor fuerit, pacti & foederis sui, & tamen non effuderit omnem iram suam, & propter nomen sanctum suum, propitius fuerit eis &c. Sicut & Moses capite nono, Scito ergo q̄ non propter iusticias tuas D O M I N V S Deus dederit tibi terram hanc optimam etc. cum durissimæ ceruicis sis populus. Ergo sicut Israelite totus ille populus Dei, nihil gloriari potuit, q̄ per gratiam, servatus sit, ita & nos non possumus gloriari, in ullo opere aut merito nostro sed tantum, de misericordia gloriamur.

### PSALMVS CVII.

**E**st generalis gratiarum actio, pro infinita hac & incomparabili bonitate diuina, qua Deus quotidie pijs iuxta ac impijs, breuiter oib. hōib. in varijs calamitatib. subuenit et auxilia tur, eosq;

## SUMMARIA

eosq; defendit contra diabolum, conseruat pacem publicam, dat salubritatem coeli & aeris, benedicit terrae nascentibus, Sicut & Paulus. 2. ad Timoth. inquit, qui est saluator omnium hominum maxime credentium. In quarto uersu autem, qui incipit, errauerunt in solitudine, sentit de omnis generis calamitosis, & maxime his qui premuntur inopia, qui exules, deserti, incertis vagantur sedibus, Deinde uersu nono, Sedentes in tenebris & c sentit de his qui passim in mundo, siue propter sua flagitia, siue alias in vinculis & carceribus detinentur, & Dei nonnunq; auxilio liberantur.

Deinde uersu decimo sexto sentit de his qui impie uiuunt, Deum non timent, quibus Deus immittit morbos & agritudines ad eos castigandos et tamen aliqui eorum, etiam si non inuocent serio Deum mera bonitate diuina liberantur. Deinde uersu. 22. sentit de nauigantibus in mari, & ibi pericula tempestatum, & naufragium subeuntibus, ubi etiam Deus sepe impios nautas, & nauigantes mera bonitate contra diabolum seruat.

Deinde. 32. sentit de his, quorum agri & vinea sterilitate uel calamitate affliguntur, quibus Deus non promeritis, dat pluuiam, & ubertatem frumentum, & pluuiam suam mittit super iustos & iniustos. Deinde uersu. 38. sentit de his, qui sub

Turca

## PSALMORVM.

Turca, aut alijs Tyrannis premuntur, aut bellis  
& seditionibus, de salute & fortunis periclitantur,  
quibus Deus, quasi subito sedans fluctus dat  
pacem &c.

Atq; ita ostendit hic psalmus, omnem salutem  
expectandam & querendam esse a Deo, qui adeo  
non est, deserturus suum populum Ecclesiam aut  
credentes, ut etiam tot & tanta beneficia, effun-  
dat in Turcas, in palam impios & blasphemos,  
Hanc salutem, quesierunt gentes apud Idola.

Nos Christiani, in hoc nihil dissimiles Turcis,  
relicto uero saluatore Deo, imploramus opem di-  
uorum, S. Leonhardus habitus est liberator incar-  
ceratorum. S. Sebastianum inuocabant, qui sibi a  
peste metuebant. S. Georgius, Equitum & mi-  
litum tutelare numen fuit. S. Erasmus, se colentes  
ditare putabatur. S. Christophorus terrae ma-  
risq; deus, palam adoratus est, & eius statua om-  
nibus postibus affixa, in omnibus nauibus depicta  
& praefixa colebatur, Atq; ita, gloriam diuinita-  
tis, et bonitatis que soli debebatur Deo, nos inter  
sanctos partiti sumus, sicut & Ethnici,  
unicuiq; idolo, suam dederunt functionem, &  
curam, sed hic psalmus gloriam soli DEO  
transscribit.

PSAL

## SUMMARIA

### PSALMVS CVIII.

**E**st gratiarum actio, eodem argumento, & pene eisdem uerbis scriptus, quibus psal. LX. in quo gratias agit, pro felici statu regni, pro religione, & politia bene constituta &c. & aucto imperio, Sed tamen primi uersus, psalmum ad regnum Christi referunt, petit q. Deus uelit hoc regnum Christi, in omnibus gentibus erigere, Ut sic regnum & imperium Davidis, latissime in oës populos proferatur sicut promissum est. Nam hoc corporale regnum Davidis, admodum angustis terminis erat restrictum, præ toto orbe terrarum, præ regno in omnibus gentibus & populis &c. Sicut Esai. ix. et. xi. promissiones sonant, Radix IESSE quæ stat in signum populorum &c.

### PSALMVS CIX.

**H**oc psalmo, cui nomen uulgatum est (DEVS LAVDEM) quidam hypocrita monachi, quasi magico incantamento usi sunt, persuasum habentes, contra quemcunq; illa dura tragica uerba, ore tenus deblaterarent, illum protinus his uersiculis

## PSALMORVM.

uersiculis iugulari & annum superuiuere non posse. Verum, hic psalmus proprius est plenus querelis, lachrymis & suspirijs aduersus illos ipsos hypocritas, Commodo intelliges, hunc in persona Christi, conquerentis grauiter aduersus Iude proditionis & Iudeorum crudelitatem sanguine innocentis inexplebilem &c.

Iude autem Scarioth & Iudeorū similes sunt, omnes omnium temporum Pharisaici sancti & hypocritæ, quos non frustra Christus dicit reos fieri omnis sanguis iusti, inde ab Habel, tanta . n. in ipsis virulenti & plane Satani odij, immensa acerbitas est & immanitas, ut uel sanguine Habel & piorum ingurgitati, tamen quiescere non possint, sed etiam Christo iam in Cruce pendenti, ut 22. uersu hic indicat, mouentes capita sua insulcent ironice.

Si Rex Israel est descendat de Cruce, de illis hic dicit uersu secundo, Os impium, & blasphemum aperuerunt, contra me &c. Incredibilis enim est talium hypocitarum rabies. Item quarto uersu Pro eo quod ego diligo, ipsi aduersantur mihi. Ego autem oro, Reddunt mihi malum pro bono, & odium pro dilectione, Item pugnant contra me unum sine causa. Hi sunt

## SUMMARIA

Hic sunt germani colores, hic pingitur non solum facies, aut Caynicius uultus Iudee Scharioth, sed ipsum cor Pharisaicum &uirulentum, iam factum organum diaboli, ipse cogitationes, cupiditates, & furie ille nocendi, quibus mentes talium sine fine agitantur. Nam, scientes & prudentes, contra conscientiam, impugnant & negant cognitam ueritatem, et ut Stephanus ait non desinunt resistere spiritui sancto. Quauis manifesta ratione, scripturis et experientia conuicti, tamen repellunt & auersantur, Deum & Christum, obfirmant se ad negandum ueritatem, breuiter, nolunt benedictionem, abigunt, et repellunt a se Deum & CHRISTVM.

Ad hæc, reddunt malum pro bono. Satis ingens ingratitudo esset, si mundus & hypocritæ, pro tanto bono, quod offert Christus & pijs, nihil rediderent. Verum ultra hoc, propter illud ipsum bonum adbuc odiſſe, nocere uelle, non humana, sed Satanica crudelitas est.

Præmoniti ergo simus, omnia tempora Ecclesiæ, quando Deus reuelat uerbum, quando Christus predicit et adest, habitura esse suū Iudæ &c. idest, ~~domesticos~~ hostes, ac hypocritas, qui etiam iactent nomen Ecclesiæ, & tamen uiperæ sunt. De illorum ergo horrendo iudicio, qui adeo immisericor

## PSALMORVM.

sericorditer & crudeliter cum pijs agunt, Ostendit uersu decimo sexto. Erga hunc, qui adeo im-  
misericors est, adeo crudelis in pauperem, Deus  
uicissim, horribiliter se uict, omnemq; iram effun-  
det. Tam confidenter hypocrite contempserunt  
Deum & pios, & tot lachrymis piorum, tanto  
sanguine conspersi, sic adhuc riserunt, quasi que-  
rent, aut uellet maledictionem.

Illa ergo quasi fluuius irruet super eos, Repu-  
lerunt a se uerbum Dei , & abiecie conspu-  
tauerunt oblatam salutem, omnis ergo in uni-  
uersum salus ac consolatio, hic & in futuro lon-  
gissime in aeternum , aberit at recedet ab eis.  
Econtra , maledictione quasi ueste induentur, &  
quasi cingulo precingentur. Hæc intrabit , sicut  
aqua interiora eorū et sicut oleum ossa ipsorum, et  
circumferent secum sicut, Cayn aeternos terrores  
et pauores, et furijs sceleris sui perpetuo cruciabū  
tur. Ad hæc foris sunt, exules, deserti, uagi, con-  
tempti, undiq;, sicut hoc in Iudeis impletum uia-  
demus &c.

## PSALMVS CX.

**E**st prophetia inter omnes alias , eximia &  
insignis de regno Christi. Hunc psalmū citat  
L ipse

## S U M M A R I A

ipse CHRISTVS Matthai. xxij. & exponit de regno, et sacerdotio suo æterno, ad dexteram maiestatis in excelsis, quo Christus secundum carnem filius & semen Dauid, futurus est Dominus Dauidis, & creaturarum omnium, accepta potestate in cœlo & terra. Sic & Apostolus Ro. i. loquitur, qui genitus ex semine Dauid secundum carnem, qui renunciatus fuit filius Dei in potentia, secundum spiritum sanctificationis.

Hunc psalmum ut dixi tanque insignem, Phares ipse Christus, citat, & non est illi similis in tota scriptura, & merito in tota Ecclesia debet esse celebris ad confirmandum illum articulum. Sedet ad dexteram Dei patris omnipotens &c. Hic Christus pronuntiatur Rex & sacerdos, sedens ad dexteram, non solum uerus homo sed etiam natura Deus, propitiator, & mediator Dei et hominum, omnipotens & æternus.

Nullo alio loco in scripturis, aut libris prophetarum, Christus tam claris & expressis uerbis, pronuntiatur sacerdos, adeoque æternus sacerdos, qui solus abrogato sacerdotio Aaronico seu Leuitico, erit æterna placatio, & reconciliatio pro nobis, sicut author Epistole ad Hebreos, hoc miro spiritu, et egregijs amplificationib. explicat.

Contigit

## PSALMORVM.

Contigit enim huic nostro aureo, & coelesti carmini suus dignus interpres, & dignus artifex, Viderunt Apostoli & norunt pie conscientiae sex tentationum peccati, & Satane non prorsus rudes, q̄ ingens, & firma consolatio, sit contra omnem impetum diaboli &c. posse inspirare Christum, ut sacerdotem. Sic & Paulus erumpit, Si Deus pro nobis quis contra nos? Christus est qui mortuus est, imo qui suscitatus, qui sedet ad dexteram Dei, & intercedit pro nobis.

Permagni ergo refert uniuersæ Christi Ecclesiæ, res grauissimas huius psalmi, nimirum remissionem peccatorum, placationem Dei, in hoc sacerdotio, iam infinitam & eternam, in Epistola ad Heb. copiose, & diligenter explicatas esse, & in Ecclesia eiusmodi doctrinam, de sacerdotio Christi extare.

## PSALMVS CXI.

**E**st gratiarum actio, & canticum pro populo Israël, canendum festo Paschatos, sub esia agni Paschalis, eiusmodi enim breui carmine, erudiebatur populus, ad agendas gratias, ad celebrandum, laudandum Deum, pro tam excellentib.

Lij                O maga

## SUMMARIA

Et magnificis operibus, eductione ex Aegypto,  
in primis, pro bono statu in politia, et sacerdotio  
pro data lege, pro constituto ministerio uerbi, pro  
festis, & Sabbatis, pro publica pace, pro bona ad-  
ministratione, breuiter pro omnibus beneficijs,  
&c. sicut hoc latius nostro commentario expli-  
cauimus.

## PSALMVS CXII.

**E**st psalmus consolatorius, pro pijs, in quo laudantur pijs, in sua Christiana conuersatione, Beatus, inquit, uir qui timet Dominum, q.d. Apparent quidē pijs omniū infelicissimi & damnatur ipsorum doctrina, & uita a mundo, a linguis quas excitat diabolus, Apparent omnia in sanctis, quasi sint derelicti, deserti a Deo, quasi ipsi & posteritas eorum sit peritura, Deinde uita ipsorum etiam si optime mereantur de Rep. & Ecclesia, etiam si inculpabiles se gerant coram Deo et hominibus, per maliciam diabolitraducitur quasi flagitiosa, ipsi sunt peripsimata in mundo & Koθocρυστα.

Econtra hypocritæ laudantur tanque sancti &c. Sed melius ē modicū, in domo iusti super diuitias peccatorum multas &c. Pij quia in his omnibus afflictionib

## PSALMORVM.

afflictionibus constanter perseverant, & fidunt  
DEO, seruantur, & consolationem accipiunt,  
pereuntibus impijs. Exorta, inquit, est in te-  
nebris lux rectis corde, Lucem uocat consolatio-  
nem, tenebras temptationem.

In primis autem, in fine psalmi magnifice lau-  
datur, illa uirilis & infracta fidei constantia, que  
in tot lucis & quis acribus agonibus, tamen non  
desfatigatur nixa promissione Dei, in tantis fluctui-  
bus, tamen eluctatur, & cum Paulo canit, Gratia  
Deo semper triumphanti per nos in Christo &c.  
Paratum, inquit, alacre et promptū cor eius spe-  
rat in Domino, obfirmatum est cor eius, non com-  
mouebitur, non euertetur, Nisi enim per Christum  
inesset nobis diuinum robur impossibile esset nos  
contra tot & tantos insultus temptationum posse  
persistere.

## PSALMVS CXIII.

**C**est insignis & letissima prophetia de reg-  
no Christi propagando a Solis ortu, usq;  
ad occasum, in omnia regna orbis terrarum, in  
omnes gentes, Iubet laudare Deum, & predicare  
diuitias gratiae, idest, remissionem peccatorum  
per Christum. Ipse enim est Deus humilium, Deus  
Lijj afflictor-

## SUMMARIA

afflitorum, Deus clamantium & lachrymantium,  
Vere amabilis & iucundus & Deus,  
qui ad dexteram maiestatis in excelsis sedet, &  
amat ac respicit humiles, afflictos, oppressos, pa-  
uidos & contritos corde.

Hoc enim est proprium officium Christi, &  
opus regni CHRISTI deprimere superbos,  
Sapientes pudefacere, damnare hypocritas  
et sanctos. Econtra exaltare & eu-  
here humiles, illuminare stultos, sanctificare  
peccatores, fecundare steriles, consolari orpha-  
nos, id est, contristatos & quouis modo afflictos.

## PSALMVS CXIIIIT.

**O**st gratiarum aedio, & canticum pro po-  
pulo Israel, ad laudandum Deum, sub festo  
Paschatos pro mirabilib. q. eduxerat eos, excelsa  
dextera ex Aegypto, per mare rubrum, per de-  
sertum, per montana & Iordanem, in terram  
promissionis &c. Nos utimur hoc psalmo ad  
agendas gratias Christo, qui eripuit nos e regno  
tenebrarum, & transtulit in regnum lucis, &  
filij dilecti, & perduxit in uitam eternam.

PSAL.

## PSALMORVM.

### PSALMVS CXV.

**E**st gratiarum actio egregia, in qua laudatur Deus Israe lis, q̄ sit unus solus uerus & uiuus Deus, saluator omnium, maxime credentium, eoq; omnes alij dij gentium, qui nec se nec alios seruare possent, sint muta idola.

Quare primo uersu dicit, Non nobis DOMINE non nobis, sed tuo nomini da gloriam &c. Noli respicere, q̄ boni & iusti nos simus, alias nunquam auxiliaberis nobis, aut iuuabis nos, alias etiam erimus populus sine salute sine Deo sicut gentes alias semper erimus incerti de salute.

Sed resipice uerbum sanctum tuum, et gloriam nominis tui, scz, q̄ uocas te Deum nostrum, Deus uiuus & uerus, qui Israe lis Deus est, apud quem misericordia est & copiosa redemptio, Secundum has promissiones gratiæ, secundum pactum & foedus quo dixisti, Ego DEVS VESTER, secundum illum titulum, nominis tui age nobiscum, non secundum nomen nostrum, quo uocamur, Sacrificatores, Bonoperarij, Catores, Ieiunatores, Pharisei uel Zadichei, Nam tale nomen, gentes etiam possunt usurpare, & manent tamen ex deo gentes.

PSAL

## S V M M A R I A

### P S A L M V S C X V I .

**O**st gratiarum actio, in qua gratias agit, et finita grauissima tentatione, rursus letatur, q; Deus ipsum, e pauoribus mortis, & profundi inferni liberarit, sic enim uocat, illas grauiores spirituales tentationes de quibus supra psalmo sexto, quæ non quibusuis note sunt. Conqueritur etiam se adeo undiq; premi ac pene op= primi afflictionibus, quia suam fidem, & ueritatem Dei coram mundo confitetur.

Credidi (inquit) ideo loquor, sed uehementer affligor interim propter uerbum. Pij enim iusticiam fidei, docent et confitentur, et econtra iusticiam, sapientiam, & sanctitatem mundi, sicut et hypocrisim dannant. Hoc mundus uullo modo ferre potest, sed fremit et furit, Hinc omni genere afflictionis exercet pios, hinc foris terrores intus pauores, quibus exerceuntur pij, & Ecclesia in medio regno diaboli.

Sed in his omnibus, tot & tantis tam duris afflictionibus Satane & mundi, arripit hanc firmam consolationem, q; causa sit iusta coram Deo, seipsum ergo fretus uerbo Dei erigit, excitat, & obfirmat fortiter ad constantiæ. Calycem, inquit,

tue

## PSALMORVM.

tux salutis accipiam, & nomen DOMINI inuocabo, q.d. si propinant mihi de calyce furoris sui, si me oderunt et persequuntur. Quid tum postea? Ego accipiam calycem salutis & gratiae, id est, uerbo leto promissionis, exercens & sustentans fidem meam, quasi generoso & letificante uino, imebriabor spiritu ex illo calyce, predicando scz & spargendo uerbum, alijs quoq; propinabo omnibus, qui tecum idem uerbum & eandem ueritatem confiteri, & eandem consolationem ex eodem uerbo gratiae tecum haurire uolent.

Hic est enim noster calyx, illum bibentes, & alijs porrigentes uere colimus Deum, laudamus & extollimus nomen Dei, uere soluimus Deo uota nostra, nimirum, uotum primi præcepti, Populi Dei enim hoc maximum & summum uotum est, primi & summi præcepti. Hic unus erit nobis Deus, huic soli adhærebimus, illum solum adorabimus & coliemus, illum solum queremus & inuocabimus &c.

sicut ergo multis alijs psalmis ita hic quoq; uides, scz sacrificium laudis, (laudis que spiritu & ex corde fit, non labiotenus tantum) & prædicationem uerbi & nominis Dei, confessionem uerbi coram mundo, esse summum & precciosissimum cultum Dei.

## SUMMARIA

### PSALMVS CXVII.

**E**st prophetia de Christo, q̄ omnes gentes,  
Ex omnibus regnis & Insulis, in regno,  
eius scz Ecclesia, illum agnoscet, In regno in quo  
predicabitur, misericordia gratia & remissio  
peccatorum, uita & consolatio æterna contra  
peccatum mortem, potestatem diaboli & omniē  
malum. Est ante a me explicatus commentario.

### PSALMVS CXVIII.

**C**est gratiarū actio, et psalmus ille, C O N=  
FITE MINI, quem ego, unice admiror,  
& aureum esse pronuntio, qui sepe me erexit, &  
consolatus est in temptationibus meis. Gratias  
agit simul & prophetat de Cbristo, per passionem  
ingresso in gloriam, qui lapis est ille reprobatus  
factus caput anguli, ut Christus etiam Matth.  
xxi. citat, et describit miris affectibus letum diem  
Euangelij, diem salutis & pacis, diem gaudij &  
consolationis, diem illum uere festum &c.

Inter alia ostendit Ecclesiam & filios Dei  
conformes reddendos imagini filij. Cingendos  
undiq;

## PSALMORVM.

undiq; afflictionibus, et per Crucem & mor-  
tem glorificandos. Breue summarium res gra-  
uissimas huius electi psalmi non complectitur,  
plenam explicationem suppeditat meus com-  
mentarius.

## PSALMVS CXIX.

**H**ic psalmus est omnium maxime prolixus,  
in toto psalterio, Continet autem precatio-  
nes, consolationes, doctrinas, gratiarum actiones,  
easq; uarie exaggerat & repetit. Graui autem  
confilio conditus est, nimirū ut hac magna copia,  
alliciat & exhortetur ad audiendum, et diligenter  
retinendum uerbum Dei, Per totum enim  
psalmum summis laudibus in cœlum usq; ex-  
tollit puram doctrinam uerbi, illam dicit esse,  
auro & lapisibus preciosis &c. & omnibus ope-  
bus preferendam, quemadmodum & Salomon  
in proverbijs eadem dicit.

Econtra diligenter debortatur a falsa doctri-  
na, a securitate & contemptu uerbi. Nulla  
enim pestis est nocentior, q; falsa doctrina, aut  
doctrine humanae extra uerbum Dei, Quia  
autem Satan inde sinenter oppugnat Ecclesiam,  
heresisib; & falsa doctrina, Bonam partem con-  
sumit in consolationibus.

In hoc

## SUMMARIA

In hoc enim precipue tota uis & summa sita est pietatis, ut uerbum Dei pure doceatur, & audiatur, Vbi enim puritas est doctrinæ, ibi certo sequitur, potens & efficax oratio, & inuocatio Dei, diligentia in docendo, exhortando, consolatio imbecillium & tentatorum, alacritas spiritus, gaudium, pax cordium, & gratiarum actio, prophetia, & copiosa scripturarum tractatio, breuius ter, syncera religio & uerus cultus Dei, deinde & constantia in cruce & afflictione, perseverantia &c. omnia opera, & dona spiritus, que Deo placent, & diabolo displaceant &c.

Econtra, ubi non docetur pure uerbum, uel ubi est tedium & fastidium uerbi, ibi iacet extincta tota religio, & omnis uerus cultus Dei. Nam ubi non pure docetur uerbum, ibi non est ueritas Dei, ibi est magnus strepitus externe sanctitatis & hypocrisis, ibi quidem est psalmodia, oratio, doctrina, consolatio, gratiarum actio, uarij cultus Dei, interpretatio scripture, addo ibi etiam sunt passiones, & martyria, sed omnia fucata, omnia falsa, omnia tincta ueneno diaboli, fuso scz & mendacio. Neq; extra fidem ueram in corde, extra cultum primi præcepti, ullus est, aut esse potest, uerus aut syncerus cultus Dei. Hunc

## PSALMORVM.

Hunc psalmum tot milia sacerdotum, monachorum cecinerunt, ad horas Primā, Tertiā, Sextā, Nonā in suis templis Bethauen, Sed quid cecinerunt tales? Iudicium & ultiōrem super seipso. Nam psalmus petit singulis uerbis uerbum Dei glorificari byzocrisin confundi, pudeſieri deāteri & euerti.

## PSALMVS CXX.

**E**st ardens precatio, & miris affectibus, conqueritur contra horribile illud damnum, quod Satan dat in Ecclesia per linguam dosolam, id est, illam uirulentam & uere serpentianam linguam, que iactat Deum & cultum Dei, & tamen neminem erudit, nec ducit ad Deum.

Falsi enim doctores immania & infinita damnatione dant in Ecclesia, & haud aliter atq; telum Gygantis manu contortū, non abit sine letali uulnere, & ignis syluule Iuniperorum immisso, subita et ingenti flamma, undiquaq; furit.

Ita & uulgas uel ad unam scintillam falso & impie doctrinæ, facile totum conflagrat & magno animorum incendio, admirantur hypocritis.

Nam omnes eiusmodi doctrinæ, que uiciniores sunt

## S U M M A R I A

sunt humanæ rationi, arrident hominibus, sicut  
¶ Paulus, ij. ad Timoth. ait coaceruabunt sibi  
magistros pruriētes auribus &c.

Mesech sunt vicinæ gentes, quæ ad septen-  
trionem sunt, ipsi Hierusalem, ubi iam sunt Tar-  
tari, Kedar sunt Arabes, Hierosolyme ad orientem,  
Typus autem sunt omnium hostium, & ha-  
reticorum, quæ aduersantur ueræ Ecclesie.  
Christianorum Mesech est Turca, qui & origi-  
nem dicit a Tartaris, & kedar, sunt Mahometh  
& Saraceni, nam ex Arabia orti, H̄ij cum suo Al-  
corano multis locis Euangelium oppreserunt,  
& ignis ille impiaæ doctrine, haud aliter, atq; in  
condensis Iuniperorum, in magnam flammam  
erupit.

## P S A L M V S C X X I .

**E**st psalmus consolatorius, in quo suo exem-  
plo hortatur, pios ad constantiam fidei &  
ad expectandum auxilium, & defensionem Dei,  
Quāuis enim in hora temptationis Deus differt  
auxilium, & omnia apparent, quasi Deus dor-  
mitet aut oblitus sit nostri, & patiatur nos æstu-  
solis premi per diem, et Lunæ radijs per noctem,  
idest

## PSALMORVM.

Idest, diu noctuq; sinat nos, effugi et uarie tentari a Satana, a mundo, peccato &c. Non deserit tamen, res non ita habet, ut secundum imbecillitatem carnis nos iudicamus aut sentimus, sed ipse uigilat et excubat pro nobis, nec patitur nos sic uriri, ut perdamur, non sic tentari aut tristari ut absorbeamur a nimia tristitia, hoc tandem experiuntur qui pacienter auxilium eius expectant.

## PSALMVS CXXII.

**E**st gratiarum actio, continet affectus letatis et exultantis cordis, pro ineffabili dono Dei, MINISTER IO scz VERBI, & Deus in illo populo constituisset certum locum, Hierusalem scz, in quo nomen et uerbum Domini certo habitaret et inueniretur, et per certos Leuitas scz Sacerdotes et Reges, traderetur certis discipulis, tribibus Israel scz.

Quae enim calamitas sit et miseria, uerbum Dei ubiq; anxie querere et non inuenire, magno suo malo experti sunt filii Israel sub tempus irae, cum deserti a Deo relicti ad inuentionibus suis, quesuerunt idola, et nostra estate, Monachatus, Missæ, peregrinationes ad tot Marias satis ostenderunt, quid sit querere uerbum Dei et non inueniuntur.  
Nostra

## SUMMARIA

Nostra Hierusalem noster certus locus, est Ecclesia, & CHRISTVS nostrum templum est, ubi unq; predicatur Christus pure & sacramenta porrigitur, ibi certi sumus habitare Deum, ibi est nostrum templum, tabernaculum Cherubim & propitiatorium. Nam ibi presens est DEVS per uerbum.

## PSALMVS CXXIII

**E**st ardens precatio aduersus illos securos & superbissimos contemptores uerbi & ministrorum uerbi, Et non tantum gentes, eiusmodi contemptores erant, qui totam Israelitarum religionem & cultum, contemnebant & tanquam seditiosum damnabant, sed ipsi inter se Idola-træ in illo populo & falsi doctores, superbe contemnebant, & deridebant pios & pusillum illum gregem, & ueros prophetas sicut & 12. & 14. psal. conqueritur, & iam quoq; nostri Papistæ, & phanatici, qui ipso Euangelio uidentur sibi sanctiores, superbissime et confidentissime bos nos ministros uerbi derident, conspuunt & conculcant.

Vt taceam interim qua securitate uerbum continent, hoc tempore Episcopi & sacerdotes, qui

## PSALMORVM.

qui nunc quibusuis gentibus sunt prophaniores,  
atq; ita nos ut psalmus in fine dicit, uere pleni  
sumus derisione locupletum, contemptu super-  
borum. Sed Deus clementer nos respiciet, &  
glorificabit uerbum, amen.

## PSALMVS CXXIII.

**G**ratias agit hoc psalmo, q; Deus hunc pu-  
illum gregem, hic in regno diaboli con-  
tra tot tentationes luctantem, defendit, contra  
Tyrannos & sanguinarios hypocritas, & li-  
berat e laqueis, taliū virulentissimorum calumnia-  
torum, quorum tantus est numerus, ut possint im-  
gentes fluuij, & immane diluvium, uideri, præ  
unoriulo. Sed etiam si dentes eorum ferrei  
essent, idest, si etiam potentia eorum adhuc maior  
esset, & laquei corum, idest, insidiæ adhuc calli-  
diores, tamen maior est is, qui in nobis est, q; is  
qui in mundo est, Ille dentes eorum, conterit &  
confringit, laqueos disrumpit & suos mirabiliter  
liberat, ut iam nostro tempore in Augustano con-  
uentu, & multis magnis exemplis uidimus.

## PSALMVS CXXV.

M

Est grae

## S V M M A R I A

**E**st gratiarum actio, continens affectus exera  
citate fidei, & gratias agit q̄ quis Deus  
aliquandiu patitur, pseudoprophetas & phana-  
ticos spiritus, regnare quasi occupaturos omnia,  
(idq; non nunq; ad puniendam ingratitudinem  
erga uerbum Dei) tamen tandem eo horribi-  
liori iudicio euertit, nec patitur eos, per omnia  
uincere contra pios, ne uere pijs nimijs afflictionis  
bus & angustijs fracti, & ipsi defatigati a uerbo  
Dei deficiant ad impietatem.

Nam hereticorum & blasphemorum semper  
ultimus finis est confusio, horrendum iudicium &  
interitus, gloria eorum pudebit, inquit Paulus,  
Pusilli aut̄ gregis, etiā si per mille mortes et ignes  
probaretur Ecclesia, etiam si appareret milies  
oppressa, deleta et extincta, finis est tandem uita,  
consolatio, glorificatio, Hoc est quod dicit, Bene-  
facit tandem Dominus bonis & rectis corde,  
declinantes autem ad uias peruersas, perdit do-  
ctores cum discipulis.

## P S A L M V S C X X V I .

**C**est gratiarum actio, pro liberatione ex  
captiuitate Babylonis, siue post scriptus  
sit, siue ante captiuitatem, ut prophetia scz ad  
confira

## PSALMORVM.

confirmandam spem certo future liberationis,  
ne desperarent, ad quodcunq; tandem tempus  
referatur parum refert.

In fine, insigni epilogo claudit psalmū, qui bre= uib. herbis cōpletūtur omne consiliū & immobile decretum Dei de Ecclesia, scz Christum primum oportuit pati, deinde diuinitus & eternum glorificari. Ita Ecclesiam & pios primum oportet pati, deinde ipso Deo exaltante & erigente glorificari. Christiani ergo, primū absoluunt qua si quendam orbem afflictionum anteq; gaudeant, econtra mundus orbem gaudij, anteq; eternum contristetur & damnetur.

Ecclesia igitur est ille pusillus grex, in medio nationis praece, cōtus ille clamantium, lachrymātium, afflitorum tentatorum a mūdo &c. qui se minat in lachrymis, sed in exultatione metet. Sed eentes, inquit, ibant & flebant mittentes preciosum semen, Venient autem cum exultatione portantes manipulos suos. Valde preciosæ sunt afflictiones illæ, & mortes sanctorum sicut hic uocat preciosum semen, scz quod fructus uberrimos & opulentissimam messem proferet, sed præ lachrymis & singulu interim, infirmi infantuli, mentem & uocem patris agnoscere non possumus, nec intelligere q; preciosum sit

Mij      hoc

## SUMMARIA

hoc semen, coram DEO qui etiam morte (quæ tam  
men deterrimum & abiectissimum semen est)  
alibi uocat preciosam, in sanctis scz, & omni  
mundi thesauro p̄fert.

## PSALMVS CXVII.

**H**ic psalmus grauissimam doctrinam conti-  
nct, & est eodem argumēto scriptus, quo  
Salomon Ecclesiasten scripsit, docet politiam &  
œconomiam bene constitutam, plane esse gratui-  
tum denum Dei, & neutrū illorum humana  
sapientia, aut uirib. cōstitui posse, aut cōseruari,  
sed hæc oīa sita esse in manu Dei. Vbi ipse non dat  
pacem, ubi non dat homines amantes & peritos  
artium pacis, ubi non ipse tenet gubernacula  
Reip. ibi frustra est, omnis quāuis magna sapien-  
tia, Leges, ordinationes, ibi frustra sunt quāuis  
uires & arma, omnisq; apparatus &c.

Secundo, ubi ipse non benedicit œconomiae, ubi  
non dat concordiam coniugum, fœlicitatem ad  
educandos liberos, diligentiam & fidem in an-  
cillis, seruis &c. ibi frustra est omnis labor &  
industria, de quo latius in meo commentario quo  
illustratus est hic psalmus.

PSAL

## PSALMORVM.

### PSALMVS CXXVIII.

**E**st psalmus consolatorius, in quo CONIV<sup>a</sup>  
EGIV M, ut uite genus sanctum & pium,  
institutum a DEO, magnificis laudibus extollit.  
Consolatione hac insigni erigit hic spiritus san-  
ctus omnes coniuges, & munit ac confirmat eos  
aduersus cogitationes rationis humanæ, quæ hoc  
quod est boni in coniugio non uidet, sed tantum  
quod uidetur inesse mali, respicit et exaggerat, at  
q; ita sexū, ex opus Dei blasphemat, Vnde & hec  
blasphema dicteria apud Ethnicos, Tria mala pe-  
ssima, Ignis, aqua, femina &c. similia, Solomon  
aut̄ dicit, qui inuenit mulierē inuenit bonum &c.

Monet aut̄ hic psalmus cōiuges ne respiciant la-  
bores molestias et ærūnas, et uarias tentationes,  
q; in cōiugio perferendæ sunt, Sed potius desixos  
teneant oculos, in uerbum & uoluntatem Dei,  
qua certi debent esse Coniugium, non ab homine,  
inuentum, non fortuito constatum, sed totum  
genus humanum, ab ipso D E O, sic conditum &  
creatūm esse, idq; tam non posse aut̄ debere mu-  
tari ab hominibus, diabolo aut̄ ulla creatura, q;  
sol & Luna, non possunt mutari &c.

Masculum & foeminam creauit eos (inquit  
Mij scrip-

## SUMMARIA

scriptura) & benedixit eis &c. Hoc ergo uite genus, ut creatio, & institutio Dei certo placet Deo. Si igitur obedieris Deo, & oculis fidei intueri poteris cōmoda, & bona Coniugij si credideris promissiōni, parueris mandato & uocatiōni Dei, non uilis, sed preciosus erit tibi sexus a Deo creatus, Omnia autē reliqua minuta incōmoda obruet, unum illud commodum, qd nosti Deum suuere coniugibus, presentem esse illis, ut in suo opere, ipsum nectere uinculum Coniugij, alere & defendere coniuctos.

Ergo, contra totam illam blasphemiam, rationis humanae & diaboli, qua damnatur, coniugium cordi tuo fixum habeas hanc coelestem uocem, DOMINI DEI tui, Si times Dominum, Beatus es, & BENE tibi erit, etiam si blasphemū et uirulentum os diaboli, & totus mundus dicat MALE tibi erit.

## PSALMVS CXXIX

**Q**uod gratiarum actio, qua populus Dei Israe, Deo agit gratias, pro omnis generis consolationibus & liberationibus, sicut inde ab initio sepe mirabiliter & potenter liberauit eos de manu hostium, sicut in libris Iudicium & Regum

## PSALMORVM.

gum scriptum est, Israëlitas sœpe esse duris impe-  
rijs & tyrannide gentium pressos, qui eos longo  
tempore affixerunt, & quasi in tergo ipsorum  
arando, asperrimis aratris longos sulcos duxer-  
unt, & sub duro iugo seuissime tractarunt,  
donec Deus mitteret eis liberatorem, & ab aran-  
tibus simul & aratris ac iugis illis, eos libera-  
ret.

In fine precatur eis (id est prophetat,) ut pe-  
reant sicut fœnum tectorum exarescant, sicut  
etiam factum est. Nam omnes hostes, & gen-  
tes inimicæ Israëlis perierunt, ISRAEL autem man-  
sit, & subinde erectus est nouis consolationibus.  
Ita adhuc omnes impij & hostes Dei & uerbi  
sunt, sicut gramen tectorum, quod quidem copio-  
sa, sylua luxuriat, quasi duraturum, sed antequam  
maturescat, exarescit, & nullius est usus.

Ita & hostes uerbi, omnes heretici cum ualde  
superbiunt, & magnifice se iactant, aduersus  
Deum repente ueluti, caducum gramen deflo-  
rescent, Christiani autem & Ecclesia perpet-  
uo manent.

## PSALMVS CXXX.

**E**st insignis psalmus, et oratio ad D E V M  
que

## SUMMARIA

que proficiscitur ex uero spiritu & affectu cordis Davidici. Nam, claris uerbis fatetur, Neminem coram Deo iustum esse, ex proprijs meritis aut operibus, sed tantum per gratiam, & fidem in promissionem Dei offerentis gratis, pacem per CHRISTVM & remissionem peccatorum, Tali promissione Dei nititur, & hoc uerbo gratiae in profundo peccati, & inferni luctans sustentat & consolatur.

Et hortatur magna uoce totum Israelem, ad idem faciendum & discendum, Quoniam apud te solu propitiatio inquit et propitiatoriū est, ut timearis, idest, ut colaris cultu scz primi & summi præcepti, sacrificio laudis & gratiarum actionis. Et ipse, inquit, redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius, idest, Neque Israel, neque ullus homo, liberabitur a peccato, a morte, a potestate diaboli, nisi per gratiam & gratuitatem remissionem peccatorum, sed manebit in profundo, idest, sub regno mortis & diaboli, sub ira Dei.

Enī, q̄ breuibus uerbis hoc psalmo res maximas tradit. Hic enim Doctor, est uere magnus, rerum sacrarum & totius pietatis. Hic penitus introspexit, illas eximias promissiones. Ponam imitac̄ias, inter te & serpentem, inter semen tuum, & semen illius & ipsum conteret caput

et humum,

## PSALMORVM.

tuū, et in semine tuo benedicentur omnes gentes  
Gene xij. et xxij. Vtranq; promissionem com-  
pletebitur hoc uersu, Ipse redimet Israel ex omni-  
bus iniuitatibus eius.

## PSALMVS CXXXI.

**E**st psalmus insignis, breuibus uerbis  
complectens grauiissimam illam doctrinam,  
que & proximo psalmo tradita est, non  
esse confidendum in propria iusticia, aut operi-  
bus & perstringit superbos, & arrogantes hy-  
pocritas, qui res supra omnes humanas uires  
sitas, conantur efficere humano opere, & uim  
gratiæ seu remissionis peccatorum non intelli-  
gunt, & Deum placare uolunt suis operibus.

Non est exaltatum cor meum, inquit, &c. q.d.  
Illi superbi sancti, omnium temptationum & re-  
rum spiritualium rudes, plurimum fidunt suis  
operibus, & nondum sciunt, quid sit peccatum,  
quid ira & iudicium Dei. Ego autem fractus &  
mortificatus noui, Nam quoties ego promissioni  
gratiæ, non adhæsi mordicus, quoties mamma  
misericordie & gratiæ promisse non lactabar,  
non dabatur acquiescere, sed pre angustia cons-  
cientie, silebam & ciulabam, haud aliter atq; abe-

M.S. lactatus

## SUMMARIA

Iactatus infantulus, diu noctuq; indesinenti uagi-  
tu ubera matris requirit.

Ideo hæc est summa totius pietatis (ISRAEL  
S P E R E T I N D O M I N O,) idest, Non est  
salus, non est ulla firma consolatio, certitudo aut  
pax conscientiæ, ulli mortalium, nisi apprehendat  
promissionem gratie, Hæc ubera, uere materna  
uide ne amittas, ne negligas, hec mamma sola est,  
quæ reficere & recreare potest, fitientes & de-  
ficientes, in quo quis agone conscientias. Ipse scz  
CHRISTVS æterna uita, pax & consolatio.

## PSALMVS CXXXII.

**E**st oratio, in qua Solomon uel populus Israel  
petit, q; Deus uelit conseruare sacerdotium  
& regnum, idest, Religionem & uerum cultum,  
& fœlicem statum Reip. in illo populo, in summa  
est precatio ad Deum, q; Deus uelit conseruare  
ministerium uerbi, deinde & leges magistratus  
& publicam pacem, Vbi enim illa duo recte con-  
stituta sunt, ibi omnia bene habent.

Versu autem undecimo, quasi uertens oculos  
ad promissionem, certo statuit se esse exauditum,  
Nam Deus iure iurando promiserat, sc habitaturū  
illo

## PSALMORVM.

illo loco in Hierusalem in Zion, & daturum sa-  
lutem ac benedictionem regno ac sacerdotio,  
modo seruarent mandata Dei, & obedirent &c.  
Quare autem uersu sexto locum habitationis Dei  
ipsam scz Hierusalem uocet hic Ephrata & cam-  
pos, sylue, alio loco dicetur in commentaria.

## PSALMVS CXXXIII.

**P**salminus continet grauem doctrinam, & ex-  
hortationem, ad concordiam in Ecclesia  
simul & Rep. potissimum autem ad unitatem spi-  
ritus, de qua Paulus Phil. ij. & concordia doctri-  
nae, deinde etiam ad pacem. Sapientes, fortes, san-  
cti, ferant & tolerent, imbecilles, pusillanimes,  
stultos &c. sicut & ha due similitudines Balsami  
& roris indicant.

Alludit ad sacerdotium & regnum, Concor-  
dia. n. Sacerdotij seu doctrinæ, est amabilis & in-  
gens donum, & fragrat sicut Balsamum, descen-  
dit enim hæc fragantia Balsamu, idest, uniformis  
doctrina a summo Pontifice Aaron, in barbam  
& uestimenta, idest, reliquos doctores, Ros her-  
mon, significat, florem libani, concordiam scz  
regni libani Hierusalem, Sicut

## SUMMARIA

Sicut ros secundat libanum, & omnia uicina libano &c. ita per concordiam, floret Resp. eius regni, ubi ergo est, concordia in Ecclesia & Rep. ibi Deus habitat, cum omni gratia & benedictione, Vbi autem sectae sunt & discordia ibi Satan habitat.

## PSALMVS CXXXIII.

**E**st ualde breuis psalmus, sed continet gratissimam doctrinam, docet & exhortatur, Sacerdotes & Leuitas, ut suum munus diligenter obeant, ut in uero cultu Dei, seduli sint, & die & nocte instent, docendo exhortando per uerbum, atq; ita pergant. Sicut & Paulus ad Timotheum etiam diligenter exhortatur ad predicandum uerbum, Insta, oportune, importune, q. d. tu fac officium tuum, tu doce exhortare, increpa &c. exerce te ipsum & alios ad pietatem assidua tractatione uerbi, etiam si aliqui conuertantur ad fabulas etiam si aliqui contemnant.

Nam ubi non docetur aut discitur purum uerbum Dei, ibi nullus est cultus Dei, ibi necesse est interire tum Religionē, tum etiā Remp. aut certe deseriri a Deo uersari in tenebris et erroribus & potestate diaboli, Vbi autem durat ministerium

## PSALMORVM.

rium uerbi Dei, ubi tractatur scriptura, ibi Deus dat benedictionem, & ut maxime Satan opposnat se, affligat Ecclesiam & Remp. tamen Deus qui condidit cœlum & terram qui maior est dia-  
bolo & omnibus creaturis conseruat, & propa-  
ter presentiam nominis & uerbi, dat salutent  
etiam indignis & ingratis.

Hunc psalmum, ECCE NVNC CELE-  
BRATE Dominum omnes serui Domini &c.  
sciant ad se pertinere omnes ministri, predica-  
tores, Episcopi, ut sciant summum Dei cultum  
esse predicationem uerbi quo laudatur, & cele-  
bratur, nomen & beneficium CHRISTI &c.

## PSALMVS CXXXV.

**E**st gratiarum actio, & exhortatur hic psala-  
mus sacerdotes & ministros uerbi, ad pre-  
dicandum, laudandum Deum in mirabilibus &  
magnificis operibus suis factis in Aegypto in  
terra Canaan, & ne scz obliuiscantur Dei, ope-  
rumq; diuinorum, & conuertantur ad Idola, aut  
falsos cultus, sicuti facile accedit, ubi per securita-  
tem, aut contemptum uel negligitur, uel non  
magno studio, docetur & tractatur uerbum Dei,  
sicut proximo Psalmo dictum est.

Quando

## S V M M A R I A

Quando autem Deus iudicat populum, sicut  
uersu decimoquarto dicit, id est, quando ipse per  
os ministrorum iudicat, damnat peccatum nostrum,  
annuntiat gratiam, ibi firma est consolatio con-  
scientiarum, ibi potest cognosci & inueniri DE-  
VS, (qui alijs doctrinis non inuenitur) ibi certo est  
propitius seruis suis. Vbi autem uerbum Dei non  
est, ubi Deus filiet, scz ubi non predicit, non iu-  
dicat, ibi certo est ira Dei, cecitas &c. Laudate  
ergo nomen Domini, laudate serui Dominum, id-  
est, trahite, predicate diligenter uerbum & ope-  
ra Dei.

## P S A L M U S C X X X V I .

**E**st insignis & generalis gratiarum actio-  
nibus infinitis ineffabilibus, nunq deficien-  
tibus beneficiis Dei corporalibus & spiritualibus  
& hoc aureo & egregio psalmo, quasi summatim  
complecti & prescribere uoluit sacerdotibus,  
cuius argumenti esse debeant, omnes contiones,  
omnes exhortationes, omniaq; cantica in populo,  
ut uitetur omnis impia doctrina, omnis falsus  
cultus Dei, & Deus uere colatur cultu illo, quem  
exigit primum praeceptum decalogi, Nam

## PSALMORVM.

Nam hec debet esse summa, Laudemus Domum,  
quoniam bonus, quoniam in s̄eculum misericordia eius, id est, Indesinenter gratias agite,  
predicete & celebrate infinitam amplitudinem  
gratiae, discite ex uerbo quoniam sicut promisit,  
ita presens adest nobis, & indesinenter beneficia  
accumulat beneficijs, & inexhauste sunt diuitiae  
bonitatis.

Ideo contra diabolum, qui nihil aliud agit, q̄  
ut in cordibus extinguat fidem & cognitionem  
bonitatis, ac misericordie & nos coniiciat in  
tristitiam & dubitationem, uersu hoc intercalan-  
ti per singulas lineas repetit eandem senten-  
tiam, QVONIAM INDESINENS BO-  
NITAS eius in eternum, quo uersu toties re-  
petito, quasi infigere uult & inculcare doctrinam  
gratiae, cultum primi praecepti q. d. Immensa bo-  
nitas Dei fecit haec mirabilia in uobis, non opera  
hominum, non merita uestra.

Mera & ineffabilis amplitudo gratiae est, &  
bonitas qua hec omnia in uos effundit, adeoq;  
gratuito in indignos effundit. Atq; hoc uersu allus-  
dit etiam more prophetarum, ad promissionem  
de futuro CHRISTO, neq; enim ex ullis me-  
ritis, facta est patribus promissio gratiae, in semina  
ne illo Abrahe &c. Hunc

## SUMMARIA

Hunc intercalarem disce, repetere & inculeare tibimetipsi, & alijs, contra diabolum qui semper obgannit, quasi non bonitas, sed scutia eius sit indefinens. Hypocrite & phanatici non canunt nec canere possunt hunc uersum. QVONIAM IN AETERNUM misericordia eius, Sed canunt, Quoniam, indefinens meritum nostrum &c. Verum tu retine hanc doctrinam, Davidici spiritus, uere cœlestem & diuinam remissionis peccatorum indefinientis, & nullo peccato superabilis, quæ sola contra diabolum & omnes hæreses uincit, solaq; in temptationibus & agonibus mortis, acquiescere facit conscientiam.

## PSALMVS CXXXVII.

**C**est precatio in persona captiuorum in Babylone, siue intelligas hunc psalmum ante captiuuitatem ut prophetiam scriptam, siue post, in qua orat populus pro ciuitate Hierusalē, id est, pro loco uerbi, & ueri cultus Dei, per Babylonios enim ibi omnia uastata sunt.

Ostendit autem hic psalmus, eam primam curam esse debere priorum, ut conseruetur locus & ministerium uerbi, uera religio, uerus cultus Dei, Deuastata Hierusalem, gaudent Babylon & Edona

## PSALMORVM.

Edom & reliquæ impiæ gentes, & in summo laru ac lachrymis populi Dei lœtantur, quod quia deus ualde acerbū est, afflictis. Verū nec ipsi hoc in ultū uel impune auferent, sed hostiliter uastabūtur exortentur, & in cincribus & ruiniſ ipsorum, florida iuuentus gladio cadet, infantes allidentur, nec ætati parectur nec sexui &c. Israel autem & populus Dei, manebit &c. Sic cecidit Babylon domina illa gentium &c. ita & nostri temporis Edomitæ & Babylonij cadent, qui iam lœtantur in calamitatibus & afflictionibus uera Ecclesiæ.

## PSALMVS CXXXVIII

**E**st gratiarum actio generalis pro omni auxilio, contra hostes &c. & optat ut regnum Christi ueniat, & prophetat fore, ut etiam Reges & gentes hoc Euangelium audiant, pro illo gratias agant, Deum uere colant, cognoscantq;. Hoc esse regnum illud Christi æternum, ut Christus solus exaltetur super omnia, super omne nomen quod nominatur Phil. 2. idest, subueniat & auxilietur humili. tentatis afflictis, peccatoribus & in fine claudit, Domine opus tuum ne deseras, idest, uelis hoc promissum regnum Christi, propter quod elegisti hunc populum, erigere, stabilire & conseruare in æternum. N

SUMMARIA  
PSALMVS CXXXIX.

**E**st gratiarum actio, qua nonnihil attingit illum sublimen locum predestinationis nisi per suorum spiritus predicit incomprehensibilem Sapientiam & Bonitatem Dei, qui ipsum & cunctes alios homines cum omnibus suis rebus, operibus & cogitationibus mininis maximis &c mirabiliter praedestinat. Incomprehensibilis est illa multiplicaria sapientia Dei carni & sanguini.

Tu totum ME scrutaris, inquit, totumque nouisti & pernouisti me, Tu futuras meas cogitationes etiam longe ante praevidisti. Quacumque mouetur, aut incedo tu circum me ES & presens intueris, omnia cepta facta, incipienda & facienda mea.

Ne sermo quidem est aut sicut non minimum verbum, in lingua mea, quod non praevideris. Tui oculi uiderunt me, cum adhuc Embryo essem in utero matris, tu mirabiliter finxisti, & effigias ibi me &c. Versu sexto autem exclamat, Talis cognitio, inquit, sublimior est, quam ullus humanus captus eam assequi possit. Hæc omnia eo pertinent q.d. Non est in potestate aut viribus ullius hominis, quomodo uelit uitam instituere, quid facere, efficere, loqui aut cogitare, Vnde prodire, qua quando, aut quo uelit euadere.

Sed omnia opera nostra & cogitationes nihil sunt,

## PSALMORVM.

sunt, q̄ opera presentis Dei, omnia ut uult facientis & gubernantis, Ideo uersu decimo nono aduersus impios indignatur. Vt in am, inquit, perderes impios. Ibi in ardescit aduersus hypocritas, qui rudes omnium, operum & uerborum Dei &c. prorsus ceci & amentes omnia arrogant suis meritis & operibus.

Illi enim perpetuo suas uires opera ostentant, nunq̄ non fidunt suis factis et meritis, & gloriam debitam Deo arrogant sibi. Cum tamen ne minimum quidem uerbum ex se se in potestate habent quasi ex se se, sed omnia dicta & cogitata ipsorum sunt in manu Dci. Cum tamen adeo longe absint, a sapientia Dei, & operibus diuinis, ut ne seipso quidem, aut ullam partem sui norint, nec possint scire, quomodo creati sint & compacti in utero matris, quid ipsorum proprium corpus, quid partes & organa eius sint, quid oculi, quid cerebrum &c. quid nam hoc sit, quo mouetur corpus, breuiter quid sit illa ipsa anima & corporalis uita, Vnde nā tam uarij affectus & motus animorū, quomodo in ore, & lingua nascantur aut edantur uerba.

Cum ergo hoc totū, quod sumus, aut facimus, nō sapientia aut operatio nostra, sed DEI sit. Si ne terrena quidem capimus, si ne in his quidem cor-

Nij poræ

## SUMMARIA

poralibus quicquā possumus aut perfecte cognoscimus, Quæ malum hæc prodigiosa est arrogatio? quasi ex nobis nostro libero arb. tantum possumus, ut Deū et diuina ac spiritualia ex nobis cognoscere et efficere queamus, quasi nosmetipsi eripere nos possumus a peccato, a morte eterna etc.

Quare et uersu. xx. indignatur contra tales hypocritas, et doctores operum, DE TE, inquit DOMINE blasphemē loquuntur et inimici tui sine causa superbiunt et inflantur. Custodi tu me Domine, et proba ac purga cor meum, ut in uera uia maneam, quæ sit coram te recta et eterna, id est, in cognitione uerbi gratiæ.

## PSALMVS CXL.

**E**st ardens precatio contra superbos illos hypocritas, qui non solum multa scandalū excitant, et laqueos ac insidias tendunt incedentibus uia recta, sed et horrendis minis et infinita crudelitate agunt contra omnes, qui ipsorum eriores et impietatem non probant nec sequuntur. Ibi ergo orat, q. Deus uelit ipsorum consilia et conatus impedire, et omnia quæ hostiliter cogitant aut moliuntur uertere in ipsos, in capita eorum, ut sic hi hostes populi Dei pereant horribili iudicio, sicut

## PSALMORVM.

eo, sicut Pharaō perīst in mari rubro, qui e cœlo fulmine ictus & simul fluctibus maris obrutus perīst.

In gens est hæc consolatio pro pijs sicut hic dicit in fine, Cadent in suis ipsorum laqueis & de cipulis peccatores. Ego autem semper euado &c.

## PSALMVS CXLV.

**E**st precatio ardens qua petit se custodiri ab impijs doctoribus, qui simulant pacem, & insidiose blandicijs ac mollibus uerbis utuntur, cum uident se minis, & terroribus nihil profere, Corripiat me, inquit, iustus &c. id est, malo sinceri doctores corripiant, & damnent me a qua iustitiam meam, q̄ ut hypocritæ deliniant me, & applaudant mibi tanq̄ sancto. Et quis propter illam sanam doctrinam cui adbereo, affūgar, et ossa nostra subinde redeuntibus afflictionibus confringantur, dispergantur non aliter atq; gleba aratro frāgitur et proscinditur tamen ma lo, corripi a iustis et pijs doctoribus ita, agnoscere peccatum, niti promissione gratiæ Dei, q̄ andire ipsorum blandiloquia quibus seipso & alios fal lunt, quasi pax eis sit in Deo, & non est eis pax ipsorum enim doctores & hyprocritis tandem.

N iiiij quatuor

## SUMMARIA

quasi de petra precipitabuntur, id est, repente peribunt & corrident, & gloria eorum erit in confusione & finis interitus, & tum apparebit quod acerba sit, ipsorum dulcis doctrina.

## PSALMVS CXLII.

**E**st precatio qua iam in periculo undiq; con-  
flitutus, quasi e carcere clamat ad Deum,  
propter infinitam crudelitatem, & seuitiam fal-  
sorum doctorum, qui ipsum propter uerbum per-  
sequebantur. Quia enim Israel, populus erat  
dure ceruicis, iam mueterauerat in eo, hec Cay-  
nica acerbitas, ut ueris prophetis lapidatis eie-  
ctis & occisis, propter predicationem uerbi, &  
ueri cultus Dei adhererent hypocrisi, Idolatrie,  
sicut hoc omnes ipsorum historie testantur &  
& Christus Matth 5. & Stephanus Act. octauo.

Ideo etiam quia tam uulgatum fuit hoc pleriq;  
psalmi, grauiter de seuitia pseudoprophetarum,  
& hypocitarum conqueruntur. Sic et Ecclesiam  
ueram Dei semper inde ab initio, affixerunt her-  
etici & hypocrite, ut uide necessarium sit con-  
tra illos Caynicos sanctos prouere sanctis orare,  
ut Historia temporis Heliae & Regis Ahab &  
Lesabel, id satis testantur & exemplum esse pos-  
sunt

## PSALMORVM.

Sunt huius psalmi, cum omnes ueri prophetæ co-  
gebantur fugere & latere ad declinandam crum  
delitatem. Et tempora Arriana etiam satis clarum  
exemplum sunt, ubi omnes Catholici Episcopi,  
latere & fugere cogebantur, quia Satan non uult  
nec potest ferre purum uerbum Dei.

## PSALMVS CXLIII.

**E**st precatio, continet graues affectus, afflictæ  
& agonizantis conscientie, Constitutus  
propheta in tentatione peccati, & conter-  
ritus iudicio diuino deprecatur examen iudicij,  
& constanter adheret promissione misericordiae  
& remissionis peccatorum. Conqueritur autem  
de hypocritis, & doctoribus legis et operum, per  
quos tanq; organa diabolus misere uexat, & ua-  
rijs temptationibus exercet pios, & conatur a cere-  
titudine, promissionis diuine, auocare ad dubita-  
tionem, in qua dein conscientie horribiliter qua-  
tiuntur metu & tenebris & terroribus iræ diuini-  
æ, & nondum placati Dei.

Persecutus est, inquit, imimus animam meā,  
abiecit me in tenebras sicut mortuos, in me turbaz-  
tum est cor meum, Ibi sentit de illis angustijs in  
quas conscientias coniiciunt, qui onera importa-  
bilia

## SUMMARIA

bilia imponunt eis, et non uno digito, ea attingere  
uolunt, sicut Christus Matth. xxij. dicit de Pharis  
eis. Hic autem egregius psalmus indicat, nul-  
lam firmam & solidam consolationem esse con-  
scientijs, q̄ ut nitantur, promissione gratuitæ rea-  
missionis peccatorum, & uerbo gratiæ. Non im-  
tres, inquit, in iudicium cum seruo tuo, quia non  
iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Nulla alia uia acquiescere posse corda & con-  
scientias, omnes ueteres historie testantur, quia  
omnes Sancti Patriarchæ inde ab initio mundi,  
gratuita imputatione iusticiæ, sunt coram Deo  
iustificati & non suis operibus, sicut & Petrus  
Act XV. dicit de lege Iugum, quod neq; nos neq;  
patres nostri portare potuimus, sed speramus  
per gratiam Christi salui fieri sicut & ipsi.

Memor fui, inquit, dierum antiquorum medi-  
tor talia opera tua, & his operibus tuis ab initio  
me in temptationibus sustento & consolor, Nam  
omnes magni sancti ab initio, non ex merito iu-  
sticie suæ, sed mera gratia seruati sunt, liberati a  
peccato, ab ira Dei per fidem, in semine promis-  
sum Christum scz, sicut & Abraham, ex Idola-  
tria uocatus est Iosue. 24. Neq; est ut hic quisquam  
glorietur, in ullo suo merito et opere, in qua ope-  
rum doctrina tamen Satan per pseudoprophetas

PSALMORVM:  
non desinit uexare & cruciare conscientias, contra  
contra manifesta uerba & opera Dei.

PSALMVS CXLIV.

**O**'st insignis gratiarum actio, pro Regibus & Principibus, & omnibus Magistratib. Nam hic Dauid, ut Rex & Magistratus cui erat administranda Resp. gerenda bella, fatetur omnem felicem gubernationem, omnem successum, foris, domi, artes pacis, uictoriam in bello, esse donum DEI, et tam non situm hoc esse in sapientia aut uiribus humauis, quoniam non est situm in nobis, animos tot milium tenere deuinatos, & infinitam multitudinem obedientem parere uni. Item Remp. totam, provincias & urbes, in tanta malicia diaboli, & mundi, a seditionibus & motibus, tranquillas custodiri.

Quid enim esset aut posset homo mortalis, qui tanquam umbra evanescit, ad tanta opera? Sed Dominus maiestatis ille, ut apud Esaiam, inquit, est Dominus omniū regnorū, & regum terre, Ille ut Daniel, inquit, regna transfert atque constituit, ille Monarchas mutat & Reges, ille tempore pacis uoluntates & animos retinet multitudinis, & seditiones motus quasi fluctus contra diaboli uen-

O tos, com-

SUMMARIA  
tos compescit, ille tempore belli, terret pauefacit  
corda hostium.

Ille cum in cœlis tonat, cum tangit montes, &  
magnos colles populorum &c. terribilis est, &  
quis resistet illi? quando ille, corda hostium per-  
cutit pauore, facile est uincere, illum terrorem  
quomodo posset incutere homo, aut res tantas,  
quomodo gubernare humana sapientia? deinde  
orat contra proprium populum, & obiurgat ip-  
sorum impietatem. Israelites quia habebant illam  
gloriam, q. erant populus Dei, præ omnibus erant  
duræ ceruicis, superbi, seditioni, auari, inuidi, in-  
creduli, inobedientes, sicut erga Mosen, & ipsum  
Dauidem, & alios pios reges hoc satis moribus  
ostenderunt.

Et quāuis uidebant Dauidem, non aliter atq;  
Mosen, manifesta presentia Dei, & magnis diui-  
nis miraculis, in tanta impugnatione hostium ad-  
ministrare Remp. & gerere fœliciter bella, ta-  
men, ipsi prolapsi in securitatem fiducia illius  
magni tituli (populus Dei) nihilo euadebant me-  
liores. Sicut & Moses dicit, semper rebelles fu-  
stis Domino, a die quoq; nosse uos cepi.

Carnaliter autem & impie erant affecti. q.d.  
Manda remanda, expecta reexpecta &c. Quid  
predicatis nobis fidem, cum interim affligamur.

Quibus

## PSALMORVM.

Quibus Deus est propitius illos benedicit, illis  
dat uxore, liberos, opes, domus, agros &c. et fœli-  
citatem in omnib. Beatus populus cui h.ec sunt,  
Nec deerant pseudoprophetæ, qui premissiones  
corporales inculcabat, et ueris prophetis resiste-  
bant, & negabant illos esse Deo charos, quibus  
res non essent secundæ, sicut oportet omnes san-  
ctos in hoc mundo affligi.

Contra illos nunc David orat ardenter, &  
erigit se in fide prioribus exemplis, Si me Domine  
ne ante liberasti, a gladio crudelis Goliath, & de-  
disti uictoriā, sicut & alijs Regibus tum custodi-  
me etiā ab illo impiō, indurato, incredulo populo,  
qui neq; Deum, neq; magistratum curat, qui  
nihil moratur, quibus exerceatur malis bonus  
Rex, in Rep. quæ pericula belli, quæ commoda  
aut presidia pacis comparentur, sed rude &  
agreste uulgas sunt, & sex ac sentina, ino por-  
ci, qui nihil querunt q uentrem, quos difficilius  
est regere, q uicuis bella gerere.

Horum similes sunt, nunc nobiles quidam si-  
mul Ciues & Rustici, qui præuentris studio Re-  
ligionē, literas, diuina humanaq; omnia, conspūt,  
Vocat eos ualde dura increpatione, filios alienos,

O ij                      opponens

## S U M M A R I A

opponens hoc ipsorum gloriacioni, qua iactabant  
se filios Abrahae, domesticos Dei, & tamen dete-  
riores erant, quibusvis Atheis gentibus, Spurij  
erant & alieni, qui Deum ore & labijs honorava-  
bant, cum cor eorum longe ab eo esset.

## P S A L M V S C X L V .

**E**st ualde egregia gratiarum actio, pro rege  
no CHRISTI, quod Deus in illo popu-  
lo suscitaturus erat, Nam propter Christum totu-  
rus ille populus, ab initio præ omnibus gentibus  
est electus, Lex data, totus Mosaicus cultus con-  
stitutus &c. Et hic psalmus ualde urget summum  
illud & excellentissimum bonum opus, præcipuum  
& gratissimum cultum Dei, quem exigit prima  
tabula, scz sacrificium laudis.

Magnificis n. uerbis prædicat Dei potentiam,  
& infinitam misericordiam, que est super omnia  
opera eius, & totus psalmus est insignis retho-  
rica spiritus sancti & amplificatio per uarios  
affectus, & ornamenta uerborum & sententiarum  
primi precepti Decalogi, & illius uocis, Ego  
DOMINVS DEVS VESTER, & optat,  
ut regnum Christi homines cognoscant, ut nota,  
inquit, fiat filiis hominum potentia tua, & gloria  
magni

## PSALMORVM.

magnificentiae regni tui, id est, ut notum fiat per Euangelium, q̄ non sit liberatio a potestate dia-  
boli, ab eterna morte, a peccato &c. q̄ per fidem  
in uerbum misericordie & gratiae nobis donatae  
in Christo.

Robur enim & potentia regni Christi, sub for-  
mis infirmitatis & crucis abscondita latet, &  
uerbum Euangeli, uilis doctrina est, apud sapiente-  
tes & potentes mundi, sicut Paulus dicit, Hæc sa-  
pientia est in mysterio abscondita, Christus cruci-  
fixus, Iudeis scandalum gentibus est stultitia.  
Quando autem hoc regnum per predicationem  
uerbi, quod intrepide docent & confitentur p̄s,  
coram mundo innoteat, tunc ostenditur esse uir-  
tus ac potentia Dei.

Hoc autem quod uersu .14. dicit, proprie per-  
tinet ad regnum Christi, q̄ erigit elisos, alleuat  
omnes lapsos. Nam Christus est Rex ille afflicto-  
rum, pauperum, lapsorum, iustificans peccatores,  
fuscitans mortuos &c. per quem Deus placatus  
est nobis, exaudit nos paternè, facit omnem uoc-  
luntatem timentium se, pascit & uestit eos, quos  
mundus odit. Custodit & defendit aduersus por-  
tas inferorum &c. Ideo admiratione amplitudi-  
nis gratiae erumpit in hanc uocem, Celebret  
OMNIS caro nonten sanctum eius, id est, q.d.

O iii Beneficia

## SUMMARIA

*Beneficia & opes regni Christi, sunt immense,  
sicut & Paulus dicit, Gratia DEO super incen-  
tabili dono eius.*

## PSALMVS CXLVI.

**E**st gratiarum actio, & continet insignem doctrinam, scz confidendum esse in DEO qui solus in se confidentes, fideliter curat, & eos quos mundus negligit respicit. Non confidendum esse in ullo homine, in Regibus aut principibus, potentibus aut diuitibus, sicut mundus solet.

Solus enim DEVS est, qui ex omnibus afflictionibus potest magnifice ac potenter liberare, Fiducia autem in homines fallax est, quia etiam de sua uita incerti sunt.

## PSALMVS CXLVII.

**E**st gratiarum actio insignis, pro uarijs in comparabilibus, atq; immensis beneficijs & donis Dei, primum pro insigni beneficio, q; popu- lum illum, & Remp. Israclis ciuitatem Hierusal- lem in medio gentium, & hostium positam, mira- biliter seruat, afflictam sanat, & respicit deinde pro

## PSALMORVM.

pro excellenti illo, & ineffabili DEI beneficio,  
q; ubi uis gentium, pijs iuxta atq; impijs, gratis  
iuxta ingratis dat cibum & letitiam cordium,  
ut in Actis Paulus dicit, implens cibo & letitia  
corda hominum.

In primis autem, q; corda piorum a diabolo  
contristata, ac debilitata & magnitudine tenta-  
tionū quasi perusta, emplastris fouet, refrigerat,  
& recreat, omnibus afflictis tentatis & laboran-  
tibus in tempore auxiliatur. Deinde q; dat pluui-  
as de cœlo & tempora fructifera, bonis iuxta ac  
malis, pascitq; homines iuxta ac cetera animan-  
tia, adeo ut ne coruos quidem esurire patiatur,  
maxime q; respicit et exaudit pios se inuocantes,  
idq; potissimum in Hierusalem, ubi est locus no-  
minis & uerbi sui, dat primū pacem politicam, et  
fœlicem statum Reipub.

Secundo, sanitatem benedictionem, fœlicem  
educationem liberorum & œconomiam.

Tertio, defensionem contra hostes externos, et  
finibus eius terræ, ac ciuitatis pacem.

Quarto, deinde ubertatem & laxitatē anno-  
næ, ac copiam fructuum, Nam ille populus & cle-  
stus ille locus Hierusalem, habent hanc prærogati-  
viam, præ omnibus gentibus, q; apud ipsos uer-  
bum & cultus DEI est.

Quare

## SUMMARIA

Quare et opera et mirabilia sua in illo populo, maxime ostendit, et eius creature ac quotidiana miracula, pluvia scz, niues, ros, pruina etc. clarius ibi cognoscuntur, q[uod] apud Idolatras gentes, qui neq[ue] prophetas nec spiritum, nec uerbum Dei habent, nec opera eius uident, etiam si quotidie creaturis et donis diuinis fruantur, seq[ue]runt effigies bonis Dei, ut porci pascant, quia enim ignorant uerbum, prorsus etiam ignorant Deum.

## PSALMVS CXLVIII.

**E**st gratiarum actio, in qua excitat et exhortatur omnes creaturas in celo et in terra, ad laudandum Deum. In primis autem sanctos suos, filios Israel, apud quos est uerbum et cultus Dei. Et hoc psalmo obserua insignem doctrinam, Omnes ordines hominum, omnia genera uite, que a Deo creata sunt, bona esse; Magistratus scz, Reges, Indices, iuuenes, senes et c.

Nam si Magistratum gerere, causas audire et iudicare, per se impium esset, tunc illi non possent inuocare nec laudare Deum, nec spiritus sanctus eos hic ad laudandum Deum exhortaretur, Vbi autem sunt Magistratus et leges, Reges et Principes, ibi etiam sunt subditi, apparitoris, lictores, ibi

## PSALMORVM.

ibi etiam artifices in urbibus, ibi serui, ancillæ, rustici, ciues, milites &c. Deinde ubi sunt iuuenes et senes, ibi quoq; sunt coniuges, liberi, famuli, ancillæ, adeoq; tota familia.

Omnia hæc sunt per se pia & bona, nec damnanda sicut Papa blasphemie damnavit, & omnia hæc ostendunt suum illum optimum & omni potentem creatorem esse bonū, & deberent merito omnes ha bona creature Dei, esse uocales, & infinitis linguis canere, ac celebrare immensam bonitatem, & infinita ac ineffabilia beneficia Dei.

Vis autem scire contra Papæ & similes pharisaicas doctrinas, q̄ omnes creature Dei, minima, maxime, ualde bona sint, tum finge una aliqua creatura in hac rerum uniuersitate, uel uno momento, carendum esse, si nullus esset ignis, si uel uno momento nullus SOL, si nulla esset muier, si nullus infantulus &c. Hæc expendens uidebis, q̄ nemo satis laudare Deum possit, uel pro una creatura, qui tot pene mundos bonitatis creauit, quot creaturas condidit.

## PSALMVS CXLIX.

**C**est gratiarum actio, pro immenso hoc beneficio Dei, q̄ Deus suo populo est proprius,

O r

tius,

## SUMMARIA

tius eumq; suo uerbo ac promissionib. certificat, de uoluntate sua, q; uelit illis misereri, illos respicere et exaudire, pro quo immenso Dei beneficio nullæ gratiæ satis magne sunt. Et ille thesaurus, qui est præciosior toto mundo, afflictis conscientijs, q; Deus scz gratis promittit suo populo benedictionem in semine Abrahæ & remissionem peccatorum, nec respicit ibi q; sint indigni, est maior q; humana mente percipi possit.

Ideo hic psalmus propriæ est noui testamenti, sicut & dicit, Cantate D O M I N O canticum nouum, indicans canendum esse Regi Israel, & Zion, quem lætantes celebrare debeant in cubilibus suis, idest, in templis & Ecclesiis ubi conueniunt sicut & Esaias propheta, fana ipsorum & altaria, strata & cubilia nominat, in quibus Israel fornicetur, idest, Idola colat.

Item hoc etiam pertinet ad nouum testamentum q; dicit, Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam uindictam in gentibus ad ligandos Reges eorum in compedibus &c. Non est intelligendum Iudaice, aut Mahometice, de tyrannide terrena.

Sed hæc erit uindicta promissa in scripturis, q; semen Abrahæ Israelitæ Apostoli scz, per gladium spiritus cuerterunt, in tot regnis Idolatriam, & omnem

## PSALMORVM.

omnem sapientiam mundi pudererunt, sicut  
Paulus i. Corinth. x. dicit &c.

## PSALMVS CL.

**E**st gratiarum actio, pro populo Israel scrip-  
ta, ad laudandum Deum, in sancto uel san-  
ctuario suo, id est, pro illo immenso et incomparabi-  
li beneficio, q[uod] apud Israelitas est sanctuarium Dei,  
tabernaculum, arca propitiatoriū, Locus sez habi-  
tationis Dei, Nam in illo populo, & in illo loco  
Hierusalem Deus, quasi in sua arce, & cœlis suis  
habitat. Vnde & alij prophete cœlos uocant illū  
populum ut locum habitationis nominis & uerbi  
Dei, q[uia] ibi præsens sit potentia & uirtus DEI, ubi  
& operibus & miraculis, sese exerit. Deinde  
recitat uaria instrumenta musica, quorum tunc  
erat usus in illo populo, ut tum erat ceremonya,  
Leuitici cultus & sacerdotij. Christianis & popu-  
lo noui testamenti, tuba, psalterium, cythara,  
tympana, sunt ipsum Euangelium & ministerium  
uerbi.

Hic autem monendos esse duxi pios animos,  
quos Satan inde sinenter temptationibus exercet, ut  
meminerint omnes psalmos Eucharisticos, seu  
gratiarum actionis, esse simul promissiones Dei,  
*pro erg.*

## SUMMARIA

pro erigendis, sustentandis & recreandis afflictis  
conscientijs, & argumenta contra diabolum, q.  
Deus scz, sit Deus pacis, uite & consolationis,  
nō Deus tristitiae, crudelitatis aut damnationis etc.

Cum enim David & alij sancti cum sic effuse,  
et alacriter laudat, ostendunt, q. Deus non deser-  
uit suos in temptatione, sed misertus sit afflictorum,  
respirare dederit agonizantibus, succurrerit la-  
borantibus, respicerit corda contrita, & finem  
aliquem dederit afflictionum eripuerit, e mae-  
lis, & sepe mirabiliter ac dulciter consola-  
tus sit &c.

Quare quilibet gratiarum actio, in psalmis  
simil, est promissio gratiae, & doctrina pro affli-  
ctis & tentatis, ut pote, que exemplo Davidis &  
aliorum docet, Deum respicere afflictos exaudire  
inuocantes, pacem facere in quauis temptatione  
luctantibus.

DISCE ergo BENE per totum psalterium,  
hoc argumentum colligere contra Satanam, Lau-  
date DOMINVM, ergo consolatus est, illum  
Davidem laudantem, quia tristes & mortui non  
laudant Dominum, neq; qui absorbentur tristitia,  
& descendunt in infernum.

Ergo & Ecclesiam in tot & tantis scandalis,  
temptationibus afflictionibus, odijs acerbissimis  
mundi

## PSALMORVM.

mundi & Satanae, misere luctantem, tam non desinet, magnifice et superexcellenter, diuinitus consolari, q̄ non desinit in hac breui & momēta-  
nea uita tentare, ergo omnes credentes quotquoē tentati sunt, etiam sunt consolatione ericti &c.

Ergo et nos, omnesq; pios consolabitur, et ora nostra aperiet ad laudem, ut Satan confundatur in omnibus consilijs & operibus suis  
Glorificetur autem IESVS CHRIS-

TVS DOMINVS & DE-

VS NOSTER, QVI

CVM PATRE

ET SPI

RITV S. uiuit et regnat,  
Benedictus in secula, AMEN.

D. M. L.

**R**O GO VT SI CVI OPERA MEA  
 profuit, ostensorum breviter argumen-  
 torum in Psalmos, ut non misceat, summaria,  
 textui psalmorum. Nam textum malo separatim  
 imprimi, Deinde, & non sine incommodo est,  
 Cum pleraq; prolixiora sint ipso psalmo, summa-  
 ria textui commisceri.

## AD LECTOREM I. IONAS.

**S**VMMARIA ita translata sunt, ut  
 permittente DOCT MARTI-  
 NO, quibusdam locis sententie, & res, de  
 quibus author sentit, pro pijs lectoribus  
 prolixius sint tradite.

Impressum Viteberge per Ioannem  
 VVeiss. D' M XXXIII.

